MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80190-34

AUTHOR:

CARTER, JESSE B.

TITLE:

DE DEORUM ROMANORUM

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1898

Master Negative #

91-80190-34

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

ID:NYCG91-B64267 RTYP:a ST:p FRN: MS: EL:u AD:07-10-91
CC:9667 BLT:am DCF: CSC:d MOD: SNR: ATC: UD:07-10-91
CP:nyu L:lat INT: GPC: BIO: FIC:0 CON:
PC:r PD:1991/1898 REP:a CPI:0 FSI:0 ILC: MEI:1 II:1
MMD:d OR:? POL:b DM:d RR:d??? COL:b EML:a GEN:c BSE:a

040 NNc‡cNNC.
100 10 Carter, Jesse Benedict,‡d1872-1917.
245 13 De deorum Romanorum cognominibus‡h[microform].‡bQuaestiones Selectae.‡cScripsit Jesse Benedictus Carter.
260 1 Halis Saxonum,‡c1898.
300 64 p.
500 On reel 33 beginning frame no. 841.
502 Dissertation--Universitas Fridericiana Halens cum Vitebergensis Consociata.
533 Microfilm (negative).‡bCincinnati, Ohio:‡cAssured Micro-Services,‡d1983.‡e1 reel; 16 mm.‡f(University of Cincinnati dissertations, Programmschriften, and pamphlets in classical studies. no. 1346)
LDG RLIN
QD 07-10-91

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/17/92 INITIALS mcy
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Ua

... deorum Romanorum
cognominibus quaestiones
selectae

DE

DEORVM ROMANORVM COGNOMINIBVS

QVAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JESSE BENEDICTUS CARTER

NEOEBORACENSIS

HALIS SAXONVM

MDCCCXCVIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI.

GEORGIO WISSOWAE

SACRVM

In studiis ad ueterum religionem pertinentibus multa quae tanquam uilia diu neglecta iacebant, nunc partes grauissimas habent, quibus uocabula illa cum deorum nominibus et in titulis et in litteris coniuncta et a nobis aut ἐπικλήϲεων aut ἐπιθέτων aut ἐπωνύμων appellatione signata iure adnumerantur. Quamquam non defuerunt inter priores qui potiora eiusmodi exempla enumerarent et explicare conarentur, tamen qui peculiariter in eam materiam inquirerent non extiterunt nisi intra hos proximos decem annos. Itaque iam praesto sunt libelli utiles C. F. Bruchmanni[1]), qui epitheta deorum apud Graecos poetas obuia composuit, et G. Wentzelii[2]), qui Graecorum deorum cognomina per grammaticorum scripta dispersa congessit illustrauit primusque quid intersit inter cognomina epitheta eponyma accuratius definire studuit. Quibus accedit index utilis additus Prelleri Mythologiae Graecae, quam nouis curis expoliuit Carolus Robert.[3]) De Romanorum autem deorum cognominibus uberior disquisitio adhuc desideratur, etsi plura eius generis ad singulos deos spectantia commode adumbrauerint uiri docti, commentationes dico Roscheri lexico[4]) insertas quas conscripserunt Aust de Ioue, Ihm de Matribus, Roscher de Marte, Wissowa de Laribus. Reliquum est ut Hermanni Vsener librum qui inscribitur „Götternamen"[5]) commemorem eruditionis ingeniique plenum atque frugiferum, quamquam non omni parte probandum.

Inuitante igitur materia rerum et copia uberrima non inutile duxi quaestiones aliquas de deorum cognominibus proponere. Quod autem res tota maior est quam ut intra huius libelli fines comprehendi possit, selectos quosdam deos tractare mihi propositum est, ita ut ne horum quidem cognomina me exhausisse animum inducam. Ac primum quidem quod ad deorum delectum attinet, publicos tantum

---

1) *Epitheta deorum quae apud poetas Graecos leguntur etc.* Lipsiae 1893.

2) *De grammaticis Graecis quaestiones selectae I* Ἐπικλήϲειϲ, *sive de deorum cognominibus per grammaticorum Graecorum scripta dispersis.* Gottingae 1890.

3) *Griechische Mythologie* ed. IV vol. I. Berolini 1894.

4) *Ausführliches Lexikon der griechischen und römischen Mythologie.* Lipsiae 1884.

5) *Götternamen. Versuch einer Lehre von der religiösen Begriffsbildung.* Bonnae 1896.

populi Romani deos recipiendos esse censui, quorum quattuor genera, ut iam accuratius definiam, distingui possunt, id quod me docuit Georgius Wissowa; primum deos populi Romani ueteres qui proprie 'indigetes' appellabantur (Wissowa De dis Romanorum indigetibus et mouensidibus. Ind. Lect. Marpurg. 1892), uelut *Ianum, Iouem, Faunum;* tum deos Italicos, quorum cultus in urbem migrauit, uelut *Mineruam Venerem;* deinde numina a materia seiuncta et, ut ita dicam, abstracta, quae a Romanis colebantur, ueluti *Fidem;* denique ex Graecis dis et eos qui temporibus antiquissimis a Romanis recepti sunt, uelut *Herculem,* et eos quorum cultus per libros Sibyllinos sanctus est, uelut *Aesculapium.* Reliquos autem deos peregrinos qui Romam inlati sunt, uelut *Mithram, Serapim, Isidem,* innumerosque illos qui in Galliis aliisque imperii Romani prouinciis colebantur ab hac quaestione remoui. De quibus dis pauca hic adnotabo, quippe cum res sit non parui momenti: eos ex peregrinis maxime dico qui non solum Romanorum deorum nomina sed etiam Latina cognomina nancti sunt. Quia autem cognomina illa cum ueris Romanis facile confundi possunt, tabulam eorum qui mihi quidem innotuerunt, subiciam, ut sciant lectores me consulto ea praeterisse. Sunt autem haec[1]):

AETERNVS (-A) DIANA	CIL III 6161 (Moes. Sup. a. 218 p. Ch.) u. *Regina Diana.*
„ IVPPITER	(passim) = Mithras.
„ SOL	(passim) = Mithras.
[B]ELLATOR? SILVANVS	CIL III 10220 = 6438 (Pann. Inf.) u. *Siluestris Siluanus.*
CAELESTIS DIANA / „ IVNO / „ VENVS	= dea Carthaginiensis. Testimonia apud Roscherum in lexico II 612, 19 sq.
CAMPESTER MARS	CIL II 4083 (Tarrac. a. 182 p. Ch.) cf. M. Ihm *Der Mütter- oder Matronenkultus* p. 86.
CONSVL / CONSVLENS IVPPITER	vita Firmi c. 3 *Iuppiter .... in templo Solis .... quem appellari uoluerat Iouem Consulem uel Consulentem.*
CVLMINALIS / CVLMINARIS IVPPITER	CIL III 10303 = 3328. 4032. 4108. 4115. 5186. 11673 deus Norico et Pannoniis proprius.
DOMINVS SATVRNVS	CIL VIII (passim) = Ba'alchammân. Cf. Ed. Meyer apud Roscherum I 2875, 13 seq. et J. Toutain 'De Saturni dei in Africa Romana cultu'. Paris. 1895. In titulis CIL V 5000.

1) De iis cognominibus, quae hic fortasse desiderauerit quis (uelut de Ioue Inuicto) consulendus est index generalis.

	5021. 5068 *D(eo)* non *D(omino)* soluendum esse videtur.
DOMINVS SOL	(passim) = Mithras.
FRVGIFER SATVRNVS	CIL VIII 2666. 4581. u. *Dominus Saturnus.* Tituli Narbonensis CIL XII 4339 interpretatio incertior est.
GENETRIX TELLVS	CIL VIII 8309 (Prou. Numid.).
(H)ERBARIVS? SILVANVS	CIL III 3498 (Dac.) u. *Siluestris Siluanus.*
INVICTVS SATVRNVS	CIL VIII 2667 u. *Dominus Saturnus.*
„ SOL	(passim) = Mithras.
MAGNVS MARS	CIL II 3061.
„ SATVRNVS	CIL VIII 4468? u. *Dominus Saturnus.*
PATERNVS IVPPITER	CIL III 894 (Dac.) 6225 (Moes. Inf.) 6303 (Moes. Sup.) 8148. 10199 (Pann. Inf.). Cf. 10243 (Pann. Inf.).
POTENTISSIMA DIANA	CIL III 1418. u. *Regina Diana.*
REGINA DIANA	CIL III 1003. 6160. 7423. 7497; dea in Illyrico culta praeterea non memoratur. Cf. Domaszewski, Religion des römischen Heeres p. 53.
„ OPS	CIL VIII 2670. Cf. Ed. Meyer ap. Roscherum I 2871, 44.
SILVESTRIS DIANA	CIL III 1937. Cf. III 7775 = 1154 u. *Regina Diana.*
„ SILVANVS	CIL III (passim). Quem Siluanum deum peregrinum fuisse probauit R. de Schneider Arch. Epigr. Mitth. IX p. 35 seq.
SOLVTORIVS IVPPITER	CIL II 661. 728. 742. 744. 745. 944. 675? Extra Lusitaniam non inuenitur.
VICTOR MERCVRIVS	CIL XII 2373 (Gall. Narb.) *Mercurio Victori Magniaco Vellauno.*

Deinde quod ad cognominum delectum attinet, uideamus primum de accuratiore cognominis definitione. Omnia uocabula quae cum deorum nominibus coniunguntur, aut ἐπικλήσεις sunt aut ἐπώνυμα aut ἐπίθετα, ut uocibus Graecis utar. Ἐπίκλησις autem est uocabulum cuiuscumque generis in cultu usurpatum quo deus inuocatur i. e. ἐπικαλεῖται. Commoditati ut inseruiam cognomen in toto hoc libello id uolo esse quod Graecis est ἐπίκλησις. Eponymon autem uocabulum significat quod deum praecipue ad gentem aliquam uel ad urbem uel ad hominem pertinere exprimit aut locum ubi dei aedes est, ostendit, uelut *Iuppiter Anxurus, Victoria Sullana, Diana Auentina.* Accidit nonnumquam ut ipsa quoque eponyma transeant in cognomina, nam extra regionem propriam siue urbem saepe deos per eponyma in sacris inuocari satis constat, id quod factum uide-

mus, ut exemplo utar, in Fortuna quae Praeneste *Primigenia* appellabatur, Romae et *Primigenia* et *Praenestina* est cognominata. Repeririuntur autem uocabula quaedam, quae ad instar nominum propriorum aedis situm describunt, ut facile cum ueris cognominibus possint confundi. Quorum insero indicem hunc:

CITERIOR FORTVNA	Fast. Praen. ad Apr. 5.
FAGVTALIS IVPPITER	Varr. l. l. V 152 *fagutal a fago unde etiam Iouis Fagutalis quod ibi sacellum.* Paul. p. 87. Plin. N. H. XVI 37. Cf. CIL VI 452 a. 109/110 p. Ch. *[Laribus A]ugust(is) uici Iouis Fagutal[is].* Cf. Iordan Top. II p. 253.
FINITIMVS MERCVRIVS	CIL XII 75. (Gall. Narb.). Cf. Plaut. Bacchid. 172 *'Saluto te, uicine Apollo, qui aedibus propinquos nostros accolis ueneroque te';* Prop. IV 4. 30 *uulnera uicino non patienda Ioui.*
PVLVINENSIS BELLONA	CIL VI 490 (Mommsen adnotat: *'Puluinar proprie significat locum in circo... aedes autem Bellonae cum prope... circum fuisse constet.. hinc intellegimus prope puluinar eius eam fuisse* eqs.) 2232. 2233. Cf. Gilb. Top. III 75.
SVBSAXANA BONA DEA	Curios. Notitia Reg. XII. Cf. Ouid. F. V 150.
VIMINIVS IVPPITER	Fest. p. 376 *Viminalis et porta et collis appellantur, quod ibi uiminum fuisse uidetur silua ubi est et ara Ioui Viminio consecrata.* Cf. Varr. l. l. V 51.

Epitheti uox, quae in uniuersum omnia additamentorum genera quibus deorum nomina instrui solent, complectitur, proprio sensu ea cognomina significat, quae ex poetarum uolgique consuetudine fluxerunt, sed in cultu minime sunt adhibita. Equidem non omnia illa genera tractare propositum habeo, sed selegi uera cognomina i. e. ea quae in cultu usurpabantur. Quod autem cognomina et epitheta, ut definitione facile distinguuntur, ita re uera facile confunduntur, discriminum notas quibus usus sum, explicabo. Verum cognomen subesse mihi uidetur: a) si res in cultu inueniuntur quae proprie tali uocabulo uidentur conuenire; b) si aedes uel sacellum uel ara numini sub illo uocabulo est dedicata; c) si uocabulum in titulis dedicatoriis legitur (eis exceptis ubi cognomen Graecum Latine redditum est, uelut CIL VI 379 = I 1105 *Iuppiter Iurarius.* CIL VI 142 *Mercurius Nuntius.* CIL VI 84 *Mercurius Menestrator*); d) si uocabulum apud grammaticos commemoratur, nisi forte suspicio est grammaticos illud hausisse ex poeta quodam uetere — id quod cadere mihi uidetur in *Iouem Almum* (ap. Augustin. c. d. VII 11), *Iouem Centumpedam* (ibidem), *Iouem Supinalem* (ibidem), *Iunonem Opigenam* i. e. Ope natam

Saturniam (Fest. ap. Paul. p. 200 Mart. Cap. II 149), *Lunam Noctilucam* (Varr. l. l. V 68 cf. Laeui frg. 26 Baehrens). Contra dubitare licebit num uere subsit cognomen, si non inuenitur nisi aut apud poetas aut in nummis aut in utrisque aut etiam apud scriptores Graecanicos uelut Apuleium. Inueniuntur praeterea nonnulla epitheta quae ex fabulis anilibus uel ex deorum simulacris originem duxerunt. Quae cum perperam a quibusdam inter uera deorum cognomina relata sint, ne in posterum tempus talia confundantur, potiora in hac tabula notaui. Ex simulacris orta:

ALITES LARES	Bas. Capitol. reg. XIII. Cf. Wissowa, *Philol. Abhandl. M. Hertz dargebracht* p. 160.
BARBATVS HERCVLES	CIRh 653. Cf. *Fortuna Barbata* (Ind. gen.)
BVLLATVS HERCVLES	CIL VI 302. Cf. Petron. 60 *Lares bullati.* Val. Max. III 1, 1 *statua bullata.*
CAELISPEX APOLLO	Notitia, Curiosum reg. XI. Cf. Iordan Top. II 266.
CALVA VENVS	Seru. A. I 720. Lactant. Inst. I 20, 27. uita Maxim. duor. c. 33. Cf. Wissowa l. c. p. 158 et ap. Pauly-Wiss. s. u.
CVBANS HERCVLES	Notitia, Curiosum Req. XIV. Cf. R. Peter ap. Roscherum I 2962, 10 seq.
EPVLO EVPHROSYNVS MERCVRIVS	CIL VI 522. Cf. Iordan apud Prellerum II 231, 1.
IVVENIS HERCVLES	CIL V 5693.
LAPIS IVPPIRER	cf. Aust ap. Rosch. II 677. 30 seq.
MALEVOLVS MERCVRIVS	Paul. p. 160 (= Fest. p. 161) *Maleuoli Mercurii signum, id est statuam, appellabant ideo, quod in nullius tabernam spectabat.*
MAMMOSA FORTVNA	Notitia, Curiosum reg. XII. Cf. Wissowa l. c. p. 160, 2.
MONOLITHVS SILVANVS	CIL VI 675 *T. Flauius... port(icum) crep(idinem) et Sex. Caelius Encolpius .... Siluanum Monolithum.*
OLIVARIVS HERCVLES	Notitia, Curios. reg. XI. Cf. E. Loewy Röm. Mitth. XII 1897 p. 56 seq.
PVER IVPPITER	Cic. de diu. II 85. Cf. Seru. A. VII 799.
PVERINVS HERCVLES	CIL VI 126.
PVSILLVS HERCVLES	Martial. III 47, 4. Cf. Friedlaenderi nota.
TORTOR APOLLO	Suet. Aug. 70. Cf. Iordan Top. II 266.

Ex fabulis orta:

?CAPTA MINERVA	u. indicem.
FATVCLVS FAVNVS	Seru. A. VI 775. VII 47.
FATVVS FAVNVS	Testimonia dabit R. Peter ap. Roscherum I 1453, 38.
INCVBO HERCVLES	Pseudo-Acro ad Horat. Sat. II 6, 15. Cf. Hercules Cubans.
INCVBVS FAVNVS	Seru. A. VI 775 } = Ἐφιάλτης, cf. Preller-Robert I 747, 2.
INCVBVS SILVANVS	Augustin. c. d. XV 23 }

Quibus praemissis ad propositum redeo, ac primo quidem capite antiquissimorum, altero ceterorum cognominum rationem tractabo, postremo omnium cognominum indicem dabo, qualis mihi quidem uidetur esse idoneus.

I

Quamquam ex uetustioribus cognominibus perpauca ad nos peruenerunt, tamen hoc tenendum est antiquissimis illis temporibus cognomina fuisse grauissima. Id autem facile inde perspicitur quod deorum uetustissimorum appellationes haud raro sunt mera adiectiua i. e. idem ualent atque cognomina, uelut *Volturnus*, *Siluanus*, *Saturnus*. Quae adiectiua tribus modis explicari possunt. Primum enim nomine proprio ea omnino caruisse putari possunt coniuncta primitus cum *dei* uel *diui* uocibus, id quod cadit in *Volturnum*, qui principio *diuus Volturnus* erat i. e. *deus qui uoluitur* et in *Vortumnum* qui *diuus Vortumnus* erat, i. e. *deus qui uortitur.*[1]) Tum tantopere praeualuisse ea, ut nomina propria, quibus principio iuncta fuerint, obscurata in obliuionem abierint — neque enim negari poterit multorum deorum nominum memoriam oblitteratam esse. Denique fieri potest ut et ipsa adiectiua et numina quibus olim indita erant tanquam cognomina, officiis inter se diuersis permanserint et ad nostram memoriam peruenerint. Cuius rei exempla aliqua mihi uisus sum afferre posse, quae hic tractabo, quippe cum sint non parui momenti ad inlustrandam cognominum rationem, eam maxime quam hodie amplectuntur multi uiri docti *(Sondergottheitstheorie)*.

LIBER. Primis rei publicae temporibus Dionysus, Graecorum deus Romam ingressus Liberi Italorum dei ueteris nomine colebatur, qua ex Dionysi Liberique comparatione effectum est ut Liber deus Italicus tantopere obscuraretur, ut posteriores et uiri doctissimi recentissimi[2]) Liberum Italicum umquam extitisse negarent; sed alios in his Wissowam[3]) et Austium[4]) non fugit Liberum deum non tantum esse Italiae proprium, sed abhorrere etiam aliquatenus eius naturam a deo Graeco. Certe Italorum deus non modo 'iucundae consitor uuae' erat, uerum etiam omnium animalium fecunditatis largitor putabatur esse, ut testatur Varro apud Augustinum (de ciuitate dei VII 21). Liber

1) Cf. Mommsen CIL I^2 p. 327.
2) Praeter alios V. Hehn, Kulturpflanzen und Hausthiere ed. V p. 66 et O. Gilbert, Topographie II 209 seq.
3) Ap. Roscherum II 2021, 54 seq.
4) Ap. Roscherum II 661, 61 seq.

autem cum sit nomen adiectiuum[1]), quaerendum est, num fortasse deus reperiatur eo cognomine instructus: id quod factum uidemus in Ioue, deo omnis fecunditatis largitore atque tutore, qui propterea Almus et Frugifer appellatus est.[2]) Iouem igitur Liberum ab Oscis Sabellisque cultum esse titulis[3]) discimus, neque temere contendas eum ne Romanis quidem ignotum fuisse, quod innuere uidentur fasti Arualium (ad Kal. Sept.). Quapropter uocabulum *Liber* quod tanquam cognomen coniunctum quondam fuit cum Ioue, disiunctum postea in nomen dei abiisse uerisimile est, praesertim cum uestigium cultus Iouis cum deo Libero coniuncti etiam posteriore aetate manserit: feriis enim Liberalibus pueri togae liberae sumendae causa in Capitolio Ioui sacrificasse traduntur.[4])

LIBERTAS. Deae Libertati, de qua ante medium saeculum tertium nihil memoriae traditum est, a. 516 = 238 aedes in Auentino est dedicata.[5]) Quam aedem a templo Iouis Libertatis, de quo in monumento Ancyrano[6]) mentio fit, diuersam fuisse ex eo sequitur quod Iouis Libertatis aedes in fastis Arualium Iouis Liberi aedes appellatur. Sed quia antiqua illa deae Libertatis aedes in Auentino erat, ubi templum quoque Iouis Libertatis ab Augusto instauratum sedem habuit[7]), et quia aedes illa idibus Aprilis dedicata est[8]), idus autem omnes sacrae erant Ioui[9]), inde non iniuria colligi potest Libertatis deae cultum profectum et tanquam deriuatum esse ab antiquiore cultu Iouis Libertatis; idque factum esse necesse est statuamus ante saeculum urbis conditae sextum, ea scilicet aetate qua pristina uerbi *Liber* significatio, quam germanice reddimus *„schöpferisch"*, iam obliuerit. Iam ut ratio, qualis inter Iouem Liberum, Iouem Libertatem, Liberum, Libertatem intercedere mihi uidetur, clarius perspiciatur, tabulam subiciam hanc:

1) De uocis forma et origine cf. Wissowa l. c.
2) *Iuppiter Almus* Augustin. c. d. VII 11, *Iuppiter Frugifer* CIL XII 336. Apuleius de Mundo 37. Cf. Iuppiter sub nomine *Maius* a Tusculis cultus Macr. S. I 12, 17.
3) Testimonia inuenies in Indice s. u. Liber.
4) Seru. E. IV 49 *sane Iouem merito puerorum dicunt incrementa curare, quia cum pueri togam uirilem sumpserint, ad Capitolium eunt.* Cf. Mommsen CIL I² p. 312.
5) Liuius XXIV 16, 19. Cf. Aust, de aedibus sacris no. 34 et Wissowa ap. Roscherum II 2031, 58.
6) Mon. Ancyr. IV 6. Reliqua testimonia de Ioue Libertate inuenies in Indice.
7) Item aedes Fidei deae Ioui propinquae sita erat in Capitolio iuxta templum Iouis. Cf. praeterea Aust de aed. sacr. no. 71, 2.
8) Cf. Wissowa l. c.
9) Paul. p. 104, 17 *omnibus idibus Ioui mactabatur.*

(Temporibus antiquissimis) IVPPITER LIBER (= almus etc.)
→ LIBER (fecunditatis deus)
↓
(Temporibus recentioribus) IVPPITER LIBERTAS
→ LIBERTAS

SILVANVS. Nomen *Siluani* quod adiectiui[1]) formam prae se fert, monet ut inquiramus si forte deus ita cognominatus inueniri possit. Et iam naturam officiaque perpendentibus ultro se offert Faunus deus Siluano simillimus, nisi quod Faunus siluarum praecipue deus est, Siluanus saltuum uillarumque tutor.[2]) Si testimonia de Fauni Siluanique cognominibus quae apud grammaticos et in titulis leguntur, examinamus, Fauni, praeter multa epitheta uetera[3]), unum cognomen peruetustum in libris grammaticis occurrit, nullum in titulis[4]), contra Siluani apud grammaticos nullum, in titulis plurima.[5]) Quae titulorum grammaticorumque testimonia quamquam saepe eiusdem aetatis sunt, in partes diuersas discedunt, quod cognomina uetera obsoletaque colligere et explicare grammaticorum maxime interest, contra in titulis dedicatoriis sola cognomina quae illis temporibus in cultu usurpata sunt, leguntur. Itaque Fauni cognomina consuetudini antiquae tribuenda sunt, Siluani recentiori. Successit igitur Fauno deo vetustiori Siluanus deus minor, cuius nomen olim Fauni cognomen fuisse omnibus numeris probabile est; quamquam *Faunus Siluanus* (i. e. siluarum saltuumque deus) nusquam occurrit, tamen *Faunum Siluicolam* habes apud Vergilium[6]), quod nescio an opinioni meae faueat.

PORTVNVS. Penes Portunum deum non tantum portuum sed uniuerse portarum tutelam esse putabant, id quod indicat clauis qua imago eius instructa fingebatur.[7]) Quare optime cum Iano componitur deo ianitore portarumque custode, ipso quoque clauem gestante.[8])

1) Cf. *arc-anus Rom-anus.* Stolz, *Historische Grammatik der lat. Sprache* I p. 480.
2) Cf. CIL XII 103 (Gall. Narb.) = Buecheler carm. epigr. no. 19 *Siluane sacra semicluse fraxino Et huius alti summe custos hortuli.* Horat. Epod. II 2, 22 *pater Siluane tutor finium.* CIL VI 646 *Siluano Lari Agresti.*
3) Cf. praecipue Seru. A. VI 775.
4) Semel legitur *Faunus Augustus* (Bulletin Arch. du Comité des Travaux histor. 1894 p. 256).
5) Cf. Indices.
6) Aen. X 551.
7) Cf. Paul. p. 56 *Claudere et clauis ex Graeco descendit, cuius rei tutelam penes Portunum esse putabant, qui clauim manu tenere fingebatur et deus putabatur esse portarum.*
8) Macr. S. I 9, 7 *Apud nos Ianum omnibus praeesse ianuis nomen ostendit, quod est simile Θυραίῳ. nam et cum claui ac uirga figuratur quasi omnium et portarum custos et rector uiarum.* Cf. Ouid. Fast. I 99.

Etsi autem titulorum[1]) et scriptorum testimonia desiderantur, tamen propter uocabuli indolem (cf. *portus, porta, ianus, ianua*) et simulacrorum similitudinem et maxime propterea quod quo die templum Iani dedicatum est, eodem Portunalia celebrabantur[2]), non temere concludi posse existimo *Portunum* simili modo originem duxisse ex *Iano Portuno* atque *Siluanum* ex *Fauno Siluano;* ita ut soluta coniunctione euaserit Portunus tutor portuum et imprimis portus Tiberini.

SVMMANVS. De deo Summano prima mentio fit in annalibus a. 476 = 278, quo anno eius simulacrum in Iouis Capitolini aede in acroteriis positum de caelo tactum est.[3]) Varronis uero testimonium[4]), Titum Tatium Summano aram uouisse, nihil ualet — nam Varronem deceptum[5]) uocabulo Sabino, *manus* i. e. *bonus*, ueram illius dei naturam ignorasse, Augustinus et Arnobius ostendunt, qui auctores Varronem secuti falsa de dei natura proferunt.[6]) Summanum autem grammatici Ioui opponunt, duo distinguentes fulminum genera, diurna Ioui Fulguri attributa, nocturna Summano.[7]) Principio autem sub Iouis tutela et nocturna et diurna fulgura fuisse intellegi potest cum ex multis aliis indiciis, tum maxime ex locutione *dium fulgur*, quae non *diurnum fulgur* sed *Dium* i. e. *Iouiale fulgur* significat. Quod autem fulgura sub lucem saepissime ueniunt, Iuppiter ut fulguris deus *Summani* i. e. *Submatutini*[8]) cognomen meruit, statuaque Iouis Summani in aede Iouis Capitolini posita paullatim Summanum Iouis nomine praetermisso inuocabant. Posteriores demum Iouem quasi diei patrem et dium fulgur quasi diurnum fulgur non recte interpretati, Summanum quasi nocturni fulguris deum Ioui opposuerunt. Titulos[9]) Ioui Summano dedicatos neglegendos esse censui, quia ad confirmandam meam sententiam non satis antiqui uisi sunt. Fieri tamen potest ut antiquissimi cultus uestigium aliquod etiam aetate imperatorum uiguerit.

TERMINVS. Fabula dei Termini, qui unus ex omnibus dis, cum Iouis templum in Capitolio aedificaretur, exaugurari non potuit[10]), a

1) Nam inscriptio Orell. 1565 spuria est.
2) Fast. Maff. Amit. Vall. Ant. Allif. Minor. VIII ad XVI Kal. Sept. = Aug. 17 *Port(unalia)*, Fast. Vall. Allif. ad XVI Kal. Sept. = Aug. 17 *Iano ad theatrum Marcelli.*
3) Cic. de diu. I 16. Cf. Liu. Perioch. l. XIV *Iouis signum.* Aedem quae ad prodigium procurandum ei dedicata est, memorat Ouidius F. VI 729. Cf. Aust. de aed. sacr. no. 25.
4) De lingua latina V 74.
5) Cf. Merkeli proleg. ad Ouidi fastos CCVIII.
6) Augustin. c. d. IV 23. Arnobius V 37.
7) Paul. p. 75 *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Iouis, ut nocturnum Summani.* Cf. praeterea Festus p. 229. Plin. N. H. II 138.
8) Cf. Vaniček, Etymologisches Wörterbuch der lat. Sprache p. 200.
9) Cf. index s. u. *Summanus.*
10) Liv. V 54, 7. Ouid. F. II 669 seq. Seru. A. IX 446. Augustin. c. d. IV 23.

posterioribus ficta esse uidetur ad explicandum lapidem terminalem qui in Iouis cella cernebatur. Ille autem lapis tanquam prototypon in cella Iouis in cuius tutela omnes erant termini, positus ansam dedit ad cognominandum *Iouem Terminum*, aeque ut *Fulguris*[1]) cognomen accepit propter tutelam fulguris. Postea idem euenit quod supra uidimus in Summano. Iouis Termini cultus, in cuius honorem *Terminalia* celebrabantur, paullatim obscuratus est, seiunctusque ab eo deus peculiaris Terminus[2]), quem uolgaris opinio Ioui Termino opposuit. Quod autem Iuppiter Terminus occurrit in nummis Varronis[3]) et apud Graecos auctores[4]), id repetendum est ex consuetudine Graeca, ut exprimatur Graecorum Ζεὺς ὅριος. Quod item cadit in titulum *Ioui Ter(minali)* positum (CIL XI 751).

Post hanc digressionem, quam materiae grauitas postulare uidebatur, ad propositum redeamus i. e. ad singula cognomina perlustranda, rem sane periculi plenam propter condicionem materiae non integram, quae minime admittit quaestionem omnibus partibus absolutam atque perfectam. Quapropter satis habeo in ueterum cognominum genera quaedam praecipua inquisiuisse, ea potissimum dico quae posteriore aetate non amplius excreuerint sed tanquam constantia ueterem indolem retinuerint uel potius exoleuerint. Ac fundamentum quidem esto monumentum uenerandae uetustatis, quamquam temporum inuidia lacerum, carmen Saliare. In quo carmine Iouem Leucetium dictum fuisse satis constat et testimonio Macrobii et ipsius carminis fragmento quod seruauit Terentius Scaurus grammaticus[5]).

LVCETIVM (vel Leucetium)[6]) Iouem caeli patrem dictum esse grammatici ueteres consentiunt a luce, ut sit lucis largitor. Quo cognomine tanquam augeri uim dei propriam, qui caeli pater est, lucet; neque enim aut loci aut officii cuiusdam indicium in tali cognomine deprehendi potest. Itaque hoc exemplo antiquissimo posito tanquam fundamento uideamus si forte alia in ueteribus cognominibus indagari possint, quae simili modo uim numinis pristinam generaliter describant. Ac primum quidem inter Iunonis cognomina praestat id quod saepe usurpatum est sine Iunonis nomine, LVCINAM dico. Lucina Iunonis cognomen iam a ueteribus Latinis in cultu usurpatum, in cuius honorem Matronalia celebrabantur, comparandum est cum

1) Fest. p. 229. Seru. A. X 423. Cf. praeterea Wissowa ap. Marquardt, Röm. Staatsverw. III² p. 22 et Aust ap. Roscherum II 656, 25 seq.
2) Cf. *Matralia*, feriae nescio cuius deae quae *Mater Matuta* est appellata, et *Diualia*, feriae *Diuae Angeronae.*
3) Cf. Mommsen, Röm. Münzwesen p. 654.
4) Dionys. Hal. II 14 ὁρίου Διὸς τοὺς λίθους; Plutarchus Q. R. 15. Numa 16.
5) Macr. S. I 15, 14. Terent. Scaur. G. L. VII p. 28. Reliqua testimonia inuenies in indice.
6) Cf. Vaniček Etymol. Wörterbuch der lat. Sprache p. 242. Cf. Maurenbrecher, Jahrb. f. Philol. Suppl. XXI 338.

Ioue Lucetio, neque enim primitus aliud uidetur significasse quam deam lucis praesidem uel donatricem[1]). Quod cognomen adsumptum est posteriore aetate ad redintegrandam uim deae principalem[2]). Posteriores demum rettulerunt ad deam parturientium, eam scilicet quae lucem subministrare credebatur infantibus[3]). Omnium Martis cognominum antiquissimum esse uidetur GRADIVVS; nam in carmine Saliari si integrum ad nos peruenisset, uix dubium est quin legeremus Gradiuum Martem, in cuius honorem canebatur[4]). De origine uocis etsi non constat[5]), hoc tamen pro certo haberi potest Martem Gradiuum non fuisse fecunditatis uernae deum, sed applicandum esse cognomen Marti bellorum potenti, id quod indicant carminis saliaris reliquiae. Principalis enim dei uis in rebus bellicis posita est, secundaria uidetur quae deum reddidit uerni temporis custodem[6]). Fauni cognominum praeter Siluanum, de quo supra dictum est, unum tantummodo ad nostram memoriam peruenit INVVS. *Inui* nomen ex antiquissimis esse et forma In-uus (cf. Februus, Fatuus) arguit et ex regione cui nomen fuit 'Castrum Inui', colligi potest[7]). Id quod confirmat Liuius, qui Faunum eo cognomine in Lupercalibus[8]) praeditum fuisse testatur, utpote deum hominum pecorumque fecunditatis praesidem, dictum ab *ineundo* cum omnibus animalibus. MVLCIBER siue *Mulcifer* inter cognomina Volcano tributa locum obtinet primarium, quod iam apud Plautum occurrit omisso dei nomine et quod grammatici in eo explicando dissenserunt. Ignipotentem autem significat, deum ardentem qui flammam mulcet, i. e. molliorem facit, ut docet et titulus ei positus CIL V 4295 (Brixiae) *Volk(ano) Miti siue Mulcibero* et uocis etymon, ut apte comparari possit cum Ioue Lucetio[9]). Alia praeterea huius generis exempla inueniri possunt (uelut *Praestites Lares*), sed ea quae protuli antiquissima sufficere uidentur ad probandum genus mihi propositum. Restat tamen ut paucis tangam duo cognomina quae primo obtutu ad idem hoc genus uidentur per-

---

1) ibidem.
2) „*Begriffserneuerung*" cf. Vsener „Götternamen" p. 56 seq.
3) Mart. Cap. II 149 *te Lucinam quod lucem nascentibus tribuas . . . . conuenit nuncupare.*
4) Liv. I 30, 4 *Salios . . . Marti Gradiuo legit.*
5) Cf. Vaniček p. 124. Bréal les Tables Eugubines p. 66 seq. Keller, Lat. Etymologie p. 36. Ex ueteribus nonnulli Gradiuum a gramine deriuauerunt (cf. Paul. p. 97, 8 *Gradiuus . . . quia gramine sit ortus,* Seru. A. XII 119 *Marti . . . cui gramen est consecratum,* et fabula ap. Ouidium F. V 251 seq. de Iunone quae floris tactu grauida facta Martem peperit); sed *gra-diuus* ex '*gramendiuus*' analogia caret.
6) Aliter iudicat Roscher in lexico II 2399 seq.
7) Testimonia in indice inuenies.
8) Lupercalia dicta a lupercis sacerdotibus, neque enim *Lupercus* cognomen fuit Fauni. Cf. Wissowa ap. Roscherum II 2162, 1 seq.
9) Cf. Wissowa de feriis anni Romani p. XIV. Reliqua testimonia inuenies in indice.

tinere, dico *Diespitrem* et *Lucetiam.* Subtilius autem inquirentibus perperam id iudicatum esse manifestum erit. Namque *Diespiter* sane uox antiquissima, ut uel forma in *piter* desinens arguit, non cognomen est Iouis, sed alterum dei nomen[1]), quod uero etymo non intellecto pro cognomine habebant non modo grammatici antiqui sed etiam uiri docti recentes[2]). *Lucetia* autem Iunonis cognomen non legitur nisi in libro illo miro atque paene absurdo quem conscripsit Martianus Capella[3]) de nuptiis Philologiae et Mercurii. Quod cum in cultu usurpatum esse parum constet, ab illo siue auctore eius fictum esse ex analogia *Iouis Lucetii* facile concedetur.

Alterius cognominum ueterum generis exemplum praebet PATVLCIVS CLVSIVIVS, Iani cognomen. Iam in carminis Saliaris fragmento[4]) intellectu difficillimo Ianus appellari uidetur Patulcius, nec profecto dubitari poterit quin etiam Clusiuius uetustatis speciem a posteriore tempore prorsus alienam prae se ferat. Itaque Ianus qui temporibus priscis non solum deus ianuarum custos sed etiam ianus ipse erat[5]), et Patulcius (ad ianuam patentem pertinens) et Clusiuius (ad ianuam clausam pertinens) cognominatus est[6]). In uniuersum igitur similiter de hoc cognomine iudicandum est atque de Lucetio, quia integram atque propriam dei naturam exprimit sine ulla imminutione et coartatione. Quod autem ad formam attinet, differentia statuenda est inter Patulcium Clusiuium et Lucetium, quia in illo duae naturae diuinae partes contrariae duobus uocabulis ita describuntur ut integram atque propriam dei naturam comprehendant atque circumcludant. Huic exemplo alia congrua deprehendi possunt. Iam dudum obseruatum est multa antiquorum deorum nomina duplicia extare, e. gr. *Annam Perennam.* Quae nomina perlustranda sunt si qua forte huic generi tribui possint, qua in re nihil interest utrum suppleatur *deus* uel *diuus* an nomen quoddam proprium nunc obliuione obrutum.

ANNAE PERENNAE[7]) feriae idibus Martiis celebrabantur in luco ad ripam Tiberis sito, unde apparet referendam esse deam in uetustissimorum numinum numerum, praesertim cum iam ante Augusti aetatem uera deae natura in tenebris iacuerit[8]). Quo duplici cognomine una

---

1) Cf. Aust ap. Roscherum II 620, 61 seq. 677, 46 seq.
2) Gell. V 12, 5. Seru. A. IX 567. Macr. S. I 15, 14. Preller in mytholog. Rom. I p. 245.
3) II 149.
4) apud Varronem de l. l. VII 26 conseruato. Reliqua testimonia inuenies in indice.
5) Cf. Wissowa, *Römische Götterbilder* (Neue Jahrbücher [Ilberg et Richter] I 1898 p. 164) '*Ianus der Thorbogen*'.
6) Cf. Verg. A. VII 610 et maxime Macrobius I 9, 16, qui tamen uix recte hoc cognomen tantum ad Iani arcum in foro pertinere dicere uidetur.
7) Cf. praecipue Wissowa apud Pauly-Wiss. s. u.
8) Cf. Fasti Vat. ad Id. Mart. et ea quae adnotat Mommsen CIL I^2 p. 311. Ferias memorant Ouidius F. III 523—696, Macrobius S. I 12, 6, Martialis IV 64, 16 seq.

dea describitur, cum *Anna* ad anni initium pertineat, *Perenna* ad anni exitum[1]). Itaque non iniuria cognomen cum *Patulcio Clusiuio* comparaui. Idem statuendum est de GENITA MANA, de cuius cultu Plinius et Plutarchus pauca tradiderunt[2]). Deam esse antiquissimam cum uocabulo *mana* euincitur, quo antiqui dicebant *bonum*[3]) (cf. *manes, Summanus* al.), tum confirmatur titulo Osco *Deiuae Genetae* dedicato[4]). Itaque Osci parturientium maxime deam colebant Deiuam Genetam, ueteres Romani et partui et morti prouidere illam rati non Genitam tantum nominabant a gignendo sed Genitam Manam precibus inuocabant, ne quis familiarium 'manus' fieret i. e. moreretur[5]). MVTVNVS TVTVNVS qui inter deos coniugales recensetur, saepius apud scriptores ecclesiasticos commemoratur[6]). Deum Italorum antiquum esse, quem posteriores demum cum Priapo confuderunt, in his Varro ut uidetur[7]), caerimoniae quibus colebatur priscae et ipsum cognomen uel potius cognomina duo artissime cohaerentia demonstrant, quae designant pudenda uirilia (*mutunus* a radice *mut*, *mutto*, idem quod *mentula*) atque muliebria (*tutunus* a radice *tit*)[8]).

PANDA CELA in Varronis fragmento[9]) apud Gellium N. A. XIII 23, 4 ingeniose restituit Mommsen[10]) ex eo quod traditur corruptum sic *Panda te La(to)*, ut uersus euadat '*te Anna ac Peranna Panda Cela te Pales*'. Qua coniectura admissa adnumeranda est dea uetustissima, ut forma cognominis docet (cf. Cuba, Pota[11]) etc.), huic generi de quo modo tractamus. Significari autem uidetur dea frugifera, fortasse Tellus uel Ceres[12]) quasi Panda, id est quae pandit, et Cela, i. e. quae celat (cf. *Condus Promus* Plaut. Pseud. 608). Recte si uiri docti ueteres recentesque iudicauerunt VICAM POTAM[13]) deae Victoriae consimilem a uincendo potiundoque dictam esse[14]), equidem

---

1) De uerbi etymo uide quae scripsit Vsener, Rhein. Mus. XXX p. 182 seq.
2) Plut. Q. R. 52. Plin. N. H. XXIX 58.
3) Paul. p. 122. Fest. p. 146.
4) Agnone reperto. Mommsen, Unterital. Dialekte p. 137.
5) Cf. Wissowa ap. Roscherum I 1612.
6) Tertull. ad nat. II 11, Arnob. IV 11, Augustin. c. d. IV 11: *Mutunus Tutunus*; Tertull. Apol. 25: *Mutunus*; Fest. p. 154: *Mutinus Titinus* (cf. Lucil. frg. apud Nonium 10, 31 = fr. 47 Baehr.); Lactant. Inst. I 20, 36: *Tutinus*.
7) A Varrone pendere uidetur Augustinus (c. d. IV 11): *Mutunus uel Tutunus qui est apud Graecos Priapus.*
8) De etymo cf. Vsener, Götternamen p. 327, Buecheler apud Woelfflinum (Archiu. II p. 119 seq., 508 seq.), Sonny (ibidem X 382 seq.).
9) Fragmentum est saturae quae Σκιαμαχία inscribitur = p. 215 no. 506 Buecheler. Praeterea *Panda* legitur omisso altero nomine ap. Arnob. IV 3. Cf. R. Peter ap. Rosch. II 210.
10) Annali del Instituto XX (1848) p. 424.
11) Cf. infra *Vica Pota* et Varro apud Donatum ad Terent. Phorm. I 1, 15.
12) Mommsen, Unterital. Dialekte p. 136 seq.
13) 'Vica Pota' legitur apud Ciceronem (de leg. II 28) Liuium (II 7, 12) Plutarchum (Publ. 10) Senecam (Apocol. 9), 'Victam Potuam' dicit Arnobius (III 25). Praeterea cf. Asconius ad Pison. 52 p. 128 (K. et Sch. 6).
14) Cf. ex ueteribus Cicero et fortasse Asconius l c., ex recentioribus R. Peter

non hic debui referre inter cognomina, quae naturae diuinae partes contrarias describunt. Atqui haud scio an Victa Potua illa, de qua Arnobius uerba facit, eadem sit atque Vica Pota, ita ut non iniuria hic posuerim. Scriptores antiqui cum de Vica Pota nihil fere tradant nisi hoc[1]) deae aedem siue sacellum prope Veliam extitisse, unde in tali disquisitione nihil idonei effici apparet, confugiendum est ad artem etymologorum semper periculi plenam. Forma *Pota* ut a *potiundo* duci non potest — debuit enim inde formari *Potia*, ut *Sentia*[2]) dicta est a *sentiendo* — ita commode a *potando* deriuatur, similiter enim *Cela*[3]) a *celando*, *Cuba*[4]) a *cubando* formata sunt. Habemus praeterea *Poticam*[5]) et *Potinam*[6]) potandi dearum nomina, quibuscum (*Pota, Potica, Potina*) conferantur uelim *Panda, Pandica*[7]) et *Sentia, Sentinus*[8]). Forma autem *Vica* non a *uincendo* tantum sed etiam a *uiuendo* (cf. *uixi*, **uic|si*, *uita*) deriuari posse facile concedetur. Itaque probabile mihi uidetur forma *Victa Potua*[9]), qua Arnobius usus est, etiam accuratius definiri deam uictus potusque potentem[10]).

Praeterea nescio an huic generi apte adnumerentur duo exempla sane aliquatenus a suprascriptis diuersa, quia cognomen duplex non in unum nomen transiit, sed nomina inde orta sunt duo. Forte autem fortuna accidit ut nomen dei proprium, cui duplex munus iniungebatur, minime sit obscuratum. Deae Carmentae cognomina indita reperimus PORRIMA POSTVERTA[11]), quae posteriores Euhemeri more tanquam sorores uel comites Carmentae interpretati sunt, cum re uera subsit uetus numen Italicum, de cuius ui atque natura postea nihil certi enucleatum est. Varrone[12]) autem auctore Carmenta dea, parturientes adiuuans a directi peruersique partus et potestate et nomine, *Porrima* (uel *Prorsa*) et *Postuerta* nuncupabatur, quae cognomina alii ad uaticinandi peritiam minus recte rettulerunt[13]). Vnam

---

ap. Roscherum II 230, 35 seq. et Preller in myth. Rom. II 244, quem secutus est Iordan.

1) Nam id quod Seneca l. c. de Dispitre Vicae Potae filio profert nihil iuuat. Asconii autem *Victoria* pro *Vica Pota* posita aut ex librariorum mendo originem traxit aut secutus est interpres ipsum Ciceronem.
2) Augustin. c. d. IV 11.
3) Cf. *Panda Cela* supra.
4) Varro ap. Donat. ad Terent. Phorm I 1, 15.
5) Varro ibid. Cf. E. Hoffmann, N. Jahrb. für Philol. CXVII (1878) p. 715 seq.
6) Nonius p. 108 M. Augustinus c. d. IV 11. Tertullianus ad nat. II 11.
7) Arnobius IV 3.
8) Tertullianus ad nat. II 11. Augustinus c. d. VII 2, 3.
9) Cum *Vica* — *Victa* comparari etiam potest *Sancus* — *sanctus*.
10) Arnobium per iocum deam ita appellasse putat Iordan ap. Prellerum II 245, 1.
11) *Porrima* et *Postuerta* habent Ouidius F. I 633 seq. et Seruius A. VIII 336, *Prorsa* pro *Porrima* Varro. Apud Macrobium S. I 7, 20 *Anteuorta* et *Postuorta* traditur, Tertullianus denique *Prosa* uidetur legisse.
12) Apud Gellium XVI 16, 4.
13) Ouid. Macrob. Seru. l. c

Parcam[1]) deam ueteres Romani colebant ut partuum gubernatricem, et quia in eius tutela partus omnes putabantur esse, qui mensibus decimo et nono accidebant, ideo DECIMAM NONAM appellare solebant[2]). Quae cognomina ad religionem Italorum priscam pertinere facile ex posteriorum studiis parum felicibus intellegi potest, qui ex una *Parca*, cui cognomen erat *Decima Nona*, tres Parcas graecanicas efficere studuerunt[3]). Longus ne fiam, omittenda hic censui numina gemina, qualia sunt Domiduca et Iterduca[4]) uel Abeona et Adeona[5]), quae similitudinem quandam cum eis quae modo tractauimus prae se ferunt. Hoc uero maximi momenti esse arbitror dignumque quod notetur, admodum raro recentiore aetate talia cognomina duplicia ficta esse. Duo tantum mihi innotuerunt exempla de quibus, ut comparatio institui possit, pauca subiciam. AIO LOCVTIO deo, cuius uoce per noctis silentium audita, M. Caecidio Gallorum aduentus praenuntiatus esse putabatur, ara dedicata est, quae certe usque ad Varronis aetatem mansit inscripta illo nomine. Itaque hoc cognomen a. 364 = 390 formatum, deum qui ait loquiturque describit[6]). *Tutani* dei mentionem facit Varro in satura Menippea quae inscribitur 'Hercules tuam fidem'[7]), hisce uerbis:

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum,
Tutanus hoc Tutanum Romae nuncupor.
Hacpropter omnes qui laborant, inuocant

a quo deo non diuersus uidetur deus *Rediculus*, qui Festo auctore[8]) fanum extra portam Capenam habuit extructum, quia Hannibalem absterruit et ab urbe regredi coegit. Habemus igitur TVTANVS REDICVLVS cognomen factum post annum 543 = 211 complectens *Tutanum* i. e. urbis Romae tutorem et *Rediculum* i. e. deum qui Hannibalem redire iussit. Vix est quod moneam haec cognomina plane differre ab iis quae supra tractavi. Neque enim partes con-

1) *Par|ca a pariendo* non a *parte*, cf. *Nouer|ca*, *Luper|cus* et ea quae disputat R. Peter apud Roscherum II 211, 58.

2) Varro ap. Gell. III 16, 9. Cf. Tertull. de anima c. 37.

3) Gell. III 16, 9 seq. *Varro dicit .... eos (i. e. Romanos) nomina Fatis tribus fecisse a pariendo et a nono atque decimo mense .... Caesellius autem Vindex ... tria, inquit, nomina Parcarum sunt, 'Nona', 'Decuma', 'Morta' et uersum hunc Liuii, antiquissimi ponit ex* Ὀδυςςείᾳ: *'Quandó diés aduéniet, quém profáta Mórta est'* (= fr. 12 Baehr. Odys. 2. 99 seq. Morta = μοῖρα). Quae *Morta* dea nescio an primitus cum *Parca* coniuncta fuerit, ita ut nomen *Parca Morta* deam partus mortisque tutatricem describeret (cf. *Genita Mana* p. 18).

4) Augustin. c. d. VII 3. Mart. Cap. II 149. Cf. Tertullian. ad nat. II 11.

5) Augustin. c. d. IV 21, VII 3. Tertullian. ad nat. II 11.

6) Cf. Liuius V 32, 6. 50, 6. 52, 11. Varro apud Gellium XVI 17. Plutarchus Camill. 13, de fort. Rom. 5.

7) Apud Nonium p. 37 = Buecheler p. 184 no. 213.

8) Paul. p. 283 = Fest. p. 282. Campum Rediculi commemorat Plinius N H. X 122.

trarias describunt neque uim naturalem numini insitam atque, ut ita dicam, aeternam referunt, sed ficta sunt propter casus quosdam mirabiles.

Denique tertium genus effici posse existimo, cuius specimen idoneum suppeditant fasti, in quibus feriae antiquissimae litteris capitalibus notatae sunt, ubi ad diem VIII kal. sept. = Aug. 25 legitur OPIC i. e. OPIC(ONSIVIA) Opis CONSIVAE feriae[1]). Consiuae cognomen Opi inditum est, quod tanquam messium dea ad Consum deum pertinet. Quod inde concludi potest, quod messis tutela et Conso et Opi tribuebatur et quod Opis dies festi iisdem dierum interuallis post Consi ferias celebrabantur[2]). Habemus igitur tertium cognominum genus plane diuersum ab iis quae modo tractauimus, quia neque unam uim dei propriam neque duas numinis partes inter se oppositas exprimit sed dei deaeque cognationem similia officia atque munera praestantium significat. Talia autem cum antiquissimae Italorum religionis indole bene congruunt, quae non deos humana specie Graecorum more indutos per fabulas mythologicas sed mera numina i. e. uires naturales coniungere solebat. Eiusdem generis est Here MARTEA[3]) dea antiquissima, de qua quid certi proferam non habeo nisi hoc, fuisse ex comitibus Martis quales infra enumerabuntur plures — id quod indicat eius cognomen. Non commemoratur nisi in Pauli[4]) epitome, ubi a nomine appellatam esse heredum incertissima etymologia contenditur. Alterum fortasse testimonium extat Ennii, si quidem recte apud Gellium (N. A. XIII 23, 18) *Herclem* mutatum est in *Herem*. Vesuna dea, fortasse Cereri propinqua, cuius nomen in titulis, in tabulis Iguuinis, in speculo Etrusco nobis traditum est[5]), semel cum Erinio patre coniuncta inuenitur in titulo[6]) intra Marsorum fines eruto, '*Ve[s]une Erinie et Erine patre*', nominata igitur est ERINIA i. e. pertinens ad Erinium patrem. Cui generi accedit fortasse Salus SEMONIA (Macr. I 16, 8) i. e. Salus ad Semonem Sancum pertinens.

Illa cognomina[7]) adiectiuorum formam exhibent. Sed eandem rationem cognationemque per genetiuum exprimi posse manifestum est, neque enim quidquam interest inter 'Here Martea' et 'Here Martis'. Inter quae ea tantum enumero, quae in ipso cultu usurpata esse pro certo haberi

1) Cf. praeter alios Wissowa De Feriis Anni Rom. p. IV.

2) Consi feriae a. d. XII kal. Sept. = Aug. 21: a. d. XVIII kal. Ian. = Dec. 15.
Opis " " " VIII " " = " 25: " " XIV " " = " 19.

3) Cf. Wissowa ap. Rosch. I 2298, 6.

4) p. 100 cf. index.

5) Cf. Mommsen Unterital. Dialekte p. 321. Buecheler Vmbrica p. 162.

6) CIL IX 3808 = I 182 (Ortonae?).

7) Posteriori aetati tribuendi sunt *Venus Iouia*, quae occurrit in titulo satis antiquo CIL X 3776 = I 565 (Capuae), et *Hercules Iouius* (testimonia in indice). Alia exempla aetatis imperatoriae hic praetermitto.

potest, testibus usus maxime Gellio (N. A. XIII 23, quo capite de comprecationibus deorum immortalium agitur expositis in libris sacerdotum populi Romani) et tabulis Iguuinis. Sunt autem haec:

HERIE IVNONIS	Gell. l. c. Cf. Wissowa ap. Roscherum I 2298, 42 seq.
HORA QVIRINI	Gell. l. c. Ennius ap. Nonium p. 120. Ouid. Metam. XIV 829. Plut. Q. R. 46. Cf. Wissowa l. c. I 2712, 17 seq.
LVA SATVRNI	Gell. l. c. Varro l. l. VIII 36. Seru. A. III 139. Cf. Wissowa l. c. II 2146, 9 seq.
MAIA VOLCANI	Gell. l. c. Macrob. I 12, 18 seq. Cf. R. Peter ap. Roscherum II 2235, 17 seq.
MOLES MARTIS	Gell. l. c. Fer. Cuman. (CIL X 8375 = I^2 p. 229) ad Mai 12. Cf. Mommsen Hermes XVII p. 637. Wissowa l. c. II 3104, 26 seq.
NERIO MARTIS	Gell. l. c. Lydus de Mensibus IV 42. Cf. Preller, Röm. Myth. I 341 seq.
PRAESTATA MARTIS	in tab. Iguuinis. Cf. Buecheler Vmbrica p. 98.
SALACIA NEPTVNI	Gell. l. c. Cf. Preller, Röm. Myth. II 121.
TVRSA MARTIS	in tab. Iguuinis. Cf. Buecheler l. c.
VIRITES QVIRINI	Gell. l. c. Cf. Preller, Röm. Myth. I 372. Mommsen l. c.

Quibus dubitans subiungo duo numina certe antiquissima:

PRAESTANA QVIRINI	Arnob. IV 3. Cf. R. Peter apud Roscherum II 217, 39 seq. et Buecheler Vmbrica p. 98.
VENILIA NEPTVNI	Cf. R. Peter ap. Rosch. II 228, 59 seq. Preller Röm. Myth. II 121.

Postremo Mommsenus[1]) deas *Moles Martis* et *Virites Quirini* (*„vielleicht .... sind Moles und Virites .... als Strebungen, Kräfte zu fassen“*) si recte interpretatus est, sententia, quam supra protuli, confirmatur, deas illas omnes cum dis consociatas esse propter potestates potius illis insitas quam propter rationes ut ita dicam personales. Apte enim conferri possunt '*Moles Martis*' et '*Virites Quirini*' cum '*Genio Martis*'[2]) i. e. creandi potestate deo Marti insita.

---

1) Hermes XVII p. 637.
2) CIL II 2407. Cf. *Cerfie Martie* i. e. *Cerus Martius* = *Genius Martius* in tabulis Iguuinis.

II

Iam relictis antiquissimis illis temporibus uertamus nos ad aetatem posteriorem atque etiam imperatoriam, quae materiam praestat copiosiorem sed saepe ita comparatam, ut iudicare nequeamus, utrum cognomen iam liberae rei publicae temporibus an imperatorum demum aetate ortum sit. Qua in re, ut commoditati inseruiam, quattuor illa deorum genera, de quibus supra (p. 6) exposui, deinceps tractabo. Breuitatis causa, illa cognomina quae omnibus fere dis attributa naturam dei propriam non illustrant, uelut *Pater*, *Mater*, *Diuus*, *Sanctus*, *Augustus*, omnino praetereo. Ceterum grauiora tantum et cognomina memoratu maxime digna perstringam testimoniis saepe omissis, quae in indice reperies.

I
De dis indigetibus.

Deorum indigetum i. e. Romanorum antiquissimorum plerique iam priscis temporibus in obliuionem abierunt, quorum praeter ea, quae in capite priore memoraui, cognomina nobis tradita sunt nulla. Parua pars aetatem tulit, quia posteriores eosdem esse putabant atque deos Graecos, eisque noua cognomina Graecanica addiderunt, quod cadit, ut exemplis utar, in CEREREM, LIBERVM, LIBERAM, SALVTEM[1]). Sunt autem alii quidam qui, quamquam adhuc colebantur, cognomina noua adepti sunt fere nulla, siue quod cultus nomine potius quam re mansit, siue quod eorum natura simplicior erat quam ut multis cognominibus onerari posset. In horum numero referendi sunt: FAVNVS qui, praeter suprascriptum (p. 16) *Inuum*, cognomine caret[2]); SATVRNVS — nam quod *Dominus*, *Frugifer*, *Inuictus*, *Magnus* in titulis Africis dictus est, hoc arguit deum peregrinum; NEPTVNVS

---

1) Cf. *Ceres Frugifera* i. e. Δημήτηρ καρποφόρος; *Liber: Conseruator, Frugifer, Pantheus,* qui semper Διόνυσος est; *Salus* quae saepe eadem est atque *Valetudo* i. e Ὑγίεια.
2) De *Fatuo, Fatuclo* cf. p. 4, de *Luperco* cf. p. 6. Semel *Augustus* appellatur in titulo Africo (Bulletin archéologique du Comité des travaux historiques 1894 p. 756 = Cagnat, L'année épigraphique 1895 n. 10.)

qui postea *Adiutor* nominatus est; OPS cui praeter *Consiuam* (u. p. 21) *Opiferae* cognomen iam liberae reipublicae temporibus additum est; VOLCANVS qui praeter *Mulciberum* siue *Mitem*, ut est in titulo Brixiano (CIL V 4295), *Quietus* cognominatus una cum Stata Matre Romae colebatur. Denique uenerabilis IANVS, qui multis quidem uocabulis nouis a recentioribus instructus est, uerum non cognominibus sed epithetis, qualia sunt *Bifrons*, *Geminus*, *Matutinus Pater*[1]) aliaque. Sunt autem nonnulla uetera Iani cognomina digna quae uberius tractentur. In deo Iano duo munera inter se ualde propinqua consociantur, ianitoris uel tutoris et satoris[2]) uel propagatoris, id quod exprimunt *Patulcius Clusiuius* et *Duonus Cerus*[3]). Itaque mirum non est eum tanquam satorem *Consiuium* uel rectius *Conseuium* appellatum esse eundemque adsociatum Iunoni *Sororiae*, *Curiatii* (i. e. *gentium custodis*) cognomen adsumpsisse. *Iunonius* autem nominatur non ea de causa quod cum Iunone kalendas sacras habuit (id quod statuit Macrobius S. I 15, 19) sed, quia sub eius arcu i. e. iano Iunonis ara ad Tigillum Sororium stabat. Denique *Quirinus* mihi quidem deum eponymum oppidi Quirii (u. indicem) significare uidetur. Multo maior cognominum numerus extat, quae aliis dis indigetibus posteriore aetate imposita sunt, IOVI, IVNONI, LARIBVS, MARTI, SILVANO, BONAE DEAE.

In nullo autem alio tantam cognominum copiam inuenies quam in IOVE, qua facile explicantur trecenti illi Ioues Varronis. Duo autem maxime genera, quae tamen non semper facile distinguuntur, obseruari possunt, unum dei naturam generaliter describens uel laudem eius exprimens, alterum peculiaria eius officia muneraque indicans siue coniungens cum certis quibusdam locis hominibusue. Priori generi tribuendi sunt *Lucetius*, cognomen omnium ut uidetur uetustissimum, *Optimus Maximus*, quo cognomine frequentissimo iam a. 245 = 509 Iouis aedes Capitolina dedicata est. Praeterea et *Praestes* et *Inuictus* liberae reipublicae aetate uidentur extitisse. Maioris momenti sunt alterius generis cognomina quae eius officia naturamque propriam indicant. Duas autem maxime partes in Iouis natura inclusas cognomina arguunt, alteram quae deum caeli fecunditatisque, alteram quae tutorem rerum humanarum uitaeque occasionum condicionumque omnium repraesentet. Prioris generis multa cognomina uetera, recentia perpauca, alterius perpauca uetera, recentia

1) *Bifrons* Verg. VII 180, XII 198. *Matutinus Pater* Horat. S. II 6, 20. De *Gemino* testimonia inuenies apud Roscherum in lexico II 16, 12 seq. Sed de *Matutino* dubitari licet (cf. *Mater Matuta*).

2) Cf. Septimi Sereni fragmentum apud Terentium Maurum 1891 = Baehr. Frg. Poet. Rom. p. 387: *Iane . . . o cate rerum sator.*

3) In carminis Saliaris fragmento apud Varronem l. l. VII 26. Cf. Paulus p. 122. Sed descriptio est potius quam uerum cognomen.

permulta occurrunt. Ad partem priorem pertinet Iuppiter *Fulgur* i. e. fulguris deus, *Feretrius* i. e. deus qui fulmine ferit, *Summanus* quod tanquam cognomen hic afferri liceat. Nec multum differt Iuppiter *Elicius*, deus qui aquas pluuiales elicit. Fecunditatis deus erat Iuppiter *Dapalis*, cui sementis causa res diuina fiebat, Iuppiter *Farreus* tutator farris, Iuppiter *Liber*. Quibus ex imperatorum temporibus addendi sunt Iuppiter *Pluuialis* propinquus *Elicio* illi, *Frugifer* consimilis *Dapali* uel *Libero*. Fulguris autem deus nouum cognomen accepit auctore Augusto, qui Iouis *Tonantis* cultum instituit. Alterius generis cognomina aetas antiquissima duo tantummodo praebet generalem tutelam describentia, *Victorem*, *Statorem*. Praeterea Iuppiter, fidei tutor *Fidius* appellatus est, i. e. Dius Fidius, unde deam Fidem natam esse uerisimile est, simili modo Iuppiter *Terminus* et Iuppiter *Libertas* peculiaribus tutoris officiis perfuncti sunt. Imperatorum temporibus numerosissima sunt cognomina: siue ea quae Iouis tutelam generaliter circumscribunt, uelut *Conseruator*, *Custos*, *Defensor*, *Propugnator*; siue ea quae eius tutelam accuratius definiunt, uelut Iuppiter ualetudinis tutor dictus est *Salutaris*, *Valens*, uiatorum tutor, *Aduentus*, *Redux*; siue ea quae loca in Iouis tutela posita indicant, uelut *Domesticus*, *Nundinarius*; siue ea quae deum collegiis uel singulis hominibus praesidere enuntiant, uelut *Chortalis* i. e. cohortis patronus[1]).

IVNO dea etsi satis multis cognominibus instructa reperitur — triginta fere uiri docti enumerare solent —, hoc tamen tenendum est minime omnia uera esse cognomina, sed pleraque aut falsa aut mera epitheta in cultu non usurpata, id quod cadit etiam in Venerem. Alia enim aut erroribus aut ex grammaticorum lusibus orta esse patet e. g. *Lucetiam*[2]) *Matutam*[3]), alia non inueniuntur nisi apud poetas uel scriptores qui ex poetis hauserunt, e. g. *Domina*, *Pronuba*, *Matrona*, *Opigena*[4]), alia tantum in nummis, uelut *Martialis* (ubi aedis figura cultum minime confirmat[5]), alia denique Graecanica sunt e. g. *Iuga*, *Iugalis*[6]), uel etiam peregrina ut *Caelestis*[7]). Iuno autem *Feronia* num-

1) De Ioue singulorum hominum fautore cf. p. 35. Perperam a quibusdam inter uera Iouis cognomina relata sunt haec: *Almus*, *Centumpeda*, *Impulsor*, *Supinalis*, *Tigillus*, quae non memorantur nisi apud Augustinum (c. d. VII 11); *Penetralis* = *Herceus* (Fest. ap. Paul. p. 101. Cf. Seru. A. II 469. 506) = ἑρκεῖος (Prell. Rob. I 146. 147); *Imbricitor* epitheton graecanicum quod tantum apud Apuleium legitur (de mundo p. 37) cf. *Apollo Imbricitor* Macr. I 12. 49.

2) u. supra p. 17.

3) Liu. XXXIV 53, 3. Cf. Gilbert Top. III 82. Simili modo '*Pales Matuta*' (Schol. Veron. ad Verg. Georg. III 1. Cf. Wissowa apud Roscherum II 2463, 31 seq.)

4) *Pronuba* Verg. A. IV 166, Seru. A. IV 45; *Matrona* Seru. XIII 84, Ouid. VI 33; *Opigena* Paul. p. 200, Mart. Cap. II 149. Cf. supra p. 8.

5) Aliter iudicat Roscher in lexico II 586, 52 seq.

6) *Iuga* Paul. p. 104, cf. Placid. p. 476; *Iugalis* Seru. A. IV 16, cf. Mart. Cap. I 31, 39.

7) u. supra p. 6.

quam legitur, sed ipsa Feronia dea est[1]). Verum omnium cognominum, quae Iunoni tribui solent, plane mirifica dicenda sunt *Cinxia, Vnxia, Domiduca, Iterduca, Fluonia, Ossipagina*, cum occurrant etiam deae peculiares ita nominatae: dea Cinxia, dea Vnxia, dea Domiduca, dea Iterduca, dea Fluonia, dea Ossipago (quae non secerni potest ab *Ossipagina*)[2]); ad quod explicandum Peterus[3]) canset Iunonem Cinxiam et deam Cinxiam (et sic alias quoque) duas diuersas deas fuisse, coniectura mea quidem sententia parum probabili. Deas fuisse arbitror Iunoni propinquas et hanc ob causam fortasse in eius sacris inuocatas[4]), ut facile deae illae cum Iunonis cognominibus confundi potuerint. Varronem autem Stoicum[5]) consulto ea confudisse opinor, quem secuti sunt posteriores omnes, duobus fortasse locis Pauli exceptis, quibus aut Paulus Festum neglegenter excerpsit aut Festus uel auctor eius, Verrius Flaccus, confusionis rei extiterunt. Praetermissis igitur falsis illis uel dubiis, haec tantummodo Iunonis deprehenduntur cognomina uetera: *Couella, Februalis, Kalendaris, Lucina, Moneta, Populona, Quiritis, Regina, Sororia, Sospita*. Ex quibus ad tutelam generalem spectant *Regina* et *Sospita*; ad mulierum deam *Sororia* et *Lucina* (de qua supra fusius exposui) et quae his propinqua sunt fecunditatem describentia, *Februalis* et *Populona* (?); temporis custodiam indicant *Kalendaris* et fortasse *Couella*; denique incertae significationis sunt *Moneta* et *Quiritis* (u. infra). De origine si quaerimus, Romanorum sunt certo *Sororia*, prope certe *Februalis, Couella*, fortasse *Moneta* et *Lucina*, quamquam hanc Varro[6]) Sabinorum propriam dixit. Reliqua extra Romam orta sunt: *Regina*, quae Veiis colebatur, *Sospita* i. e. Iuno Lanuuina, *Quiritis* dicta fortasse a Quirio oppido, *Kalendaris* i. e. Iuno Laurentina, *Populona*, Campanorum ut uidetur dea. *Kalendaris* et *Populonae* cultum Romam transmigrasse, quamuis uerisimile sit, testimoniis non confirmatur. Iuno quantopere saeculo a. Ch. quarto culta fuerit, testantur aedes ei dedicatae: a. 358 = 396 Iunoni *Reginae* in Auentino; a. 379 = 375 (?) Iunoni *Lucinae* in Esquiliis;

---

1) Testimonia apud Steudingium in Roscheri lexico I 1477, 53 seq.

2) *Cinxia*: (Iuno, Paul. p. 63, Arnob. III 30, Mart. Cap. II 149) (dea, Arnob. III 25); *Vnxia*: (Iuno, Mart. Cap. II 149) (dea, Arnob. III 25); *Domiduca*: (Iuno, Augustin c. d. VII 3, Mart. Cap. II 149) (dea, Tertull. ad nat. II 11); *Iterduca*: (Iuno, Augustin. c. d. VII 3, Mart. Cap. II 149) (dea, cf. Augustin. l. c.); *Fluonia* uel *Fluuionia*: (Iuno, Paul. p. 92, Arnob. III 30, Mart. Cap. II 149) (dea, Tertull. ad nat. II 11); *Ossipagina*: (Iuno, Arnob. III 30); *Ossipago* (Arnob. IV 1, 8). Cf. Agahd, Jahrb. f. Philol. Suppl. XXIV p. 123.

3) In Roscheri lexico II 172, 13 seq.

4) Cf. interpolator Seruii Georg. I 21, locus sane memorabilis ubi di minores tractantur Varroniana doctrina immixta.

5) Cf. L. Krahner, Grundlinien zur Geschichte des Verfalls der röm. Staatsreligion. Progr. Halis 1837. Similiter *Pecunia* secundum Varronem Iouis cognomen fuit, si fidem habemus Augustino (c. d. VII 11. 12).

6) l. l. V 74.

a. 409 = 345 Iunoni *Monetae* in arce. Praeterea a. 416 = 338 'Lanuuinis' ciuitas data sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque *Sospitae* Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum populo Romano esset (Liu. VIII 14, 2). Denique fasti Iunonibus diuersis rem diuinam factam esse demonstrant, Kalendis, quae imprimis deae sacrae erant: Kal. Febr. Iunoni *Sospitae* (Ouid. F. II 55); Kal. Mart. Iunoni *Lucinae* Esquiliis (Fast. Praen.); Kal. Iun. Iunoni *Monetae* in arce (Fast. Venus.); Kal. Sept. Iunoni *Reginae* in Auentino (Fast. Aru.); Kal. Oct. Iunoni *Sororiae* (cf. Fast. Aru. Paul.)[1]). Imperatorum temporibus noua cognomina perpauca[2]) formata sunt, uincentibus alia omnia *Lucinae* et maxime *Reginae* cognominibus passim usurpatis.

LARVM[3]) ut natura simplex est, quippe qui uno tantum officio sint ornati, ita cognominum ratio simplicitatem habet. Nam quae iis tribuuntur, aut in uniuersum eorum laudem enuntiant aut tutelae regionem definiunt. Itaque *Praestites* nominantur cognomine omnium ut uidetur antiquissimo, ut apte cum *Lucetio*, *Inuo* similibusque possit comparari, et *Salutares* cognomine recentiore. Alterius generis habemus quattuor iam libera republica usitata: *Militares* quos a. 414 = 340 P. Decius inuocasse uidetur, *Viales* quos Plautus memorat, *Permarini* quibus a. 564 = 190 aedes uota est, *Compitales*, cognomen Varrone uetustius. Quibus accedunt in titulis aetatis imperatoriae *Semitales* et *Quadriuii*. *Casanici* autem qui in eadem regione occurrunt, in qua et Lares *Familiares* (cf. index) et Siluanus *Casanicus* colebantur, cultum Romae non uidentur habuisse[4]).

LAR, singulari numero, domus familiaeque tutor uno cognomine *Familiaris* utitur, quod iam apud Plautum memoratur. Sed imperatorum aetate Laris uocabulum ui pristina amissa tutorem quemlibet significat. Itaque Siluanus Lar *Agrestis* nominatur et in titulis dedicatoriis Lar *Victor* et Lar *Vialis* occurrunt, denique apud Martianum Capellam Lar *Militaris* (quem noli confundere cum Laribus *Militaribus*), *Caelestis, Cunctalis*[5]).

MARTIS, dei antiquissimi, ut docet *Gradiuus*, et celeberrimi, quod patet ex titulorum copia, natura simplicior erat quam ut multis cognominibus instrui posset, praesertim cum imperatorum aetate multo magis in prouinciis tamquam peregrinus deus quam in urbe cultus sit[6]).

---

1) Praeterea sacra fiebant Nonis Iuliis Iunoni *Caprotinae* (Varr. l. l. VI 18) et Nonis Oct. Iunoni *Quiriti* (Fast. Aru. Paul.).

2) Cf. *Conseruatrix, Praeses.*

3) Forma pluralis quae pristina fuisse uidetur, prope semper in cultu publico, forma singularis in cultu priuato inuenitur, perpaucis exemplis exceptis quae aut in cultu extra Romam occurrunt aut imperatorum demum aetate in urbe. Cf. Wissowa ap. Rosch. II 1869, 1870, 1876.

4) Cf. Lares *Domestici* in indice.

5) *Militaris* I 46, 48; *Caelestis* I 48; * *Cunctalis* I 54. Haec mera epitheta sunt.

6) De cognominibus peregrinis frequentissimis uide indicem Roscheri in lexico II 2398, 7 seq.

Vnde fit, ut ex duodecim fere cognominibus quae uolgo deo Romano tribuuntur, duo uel tria in cultu urbano ualuerint. De *Gradiuo* omnium uetustissimo supra dictum est. Omisso Marte *Cyprio* deo Italico, cognomen nouum non occurrit nisi a. 712 = 42 quo Augustus *Vltori* aedem uouit pro ultione paterna. Praeter quod fortasse iam liberae reipublicae temporibus ortum est *Inuicti* cognomen, quod legitur in fastis Venusinis conscriptis inter annos 738—757. De reliquis cognominibus testimonia aetatis liberae reipublicae desiderantur, uelut de Marte *Victore* et *Pacifero*, quae cognomina facile explicantur ex dei cum Victoria et Pace coniunctione, de *Conseruatore*, *Auxiliatore*, *Custode*, *Protectore*, quae cognomina deum praedicant tutelarem[1].

Reliquum est ut de Siluano et Bona Dea uerba faciam dis et origine et officiis non dissimilibus. Nam Siluanus principio non dei nomen sed cognomen erat Fauni, quocum Bona Dea — nam id nomen aeque uim habet describendi — in fabulis et ut uidetur etiam in cultu coniuncta est. Itaque mirandum non est amborum deorum cognominibus saepissime similia officia indicari.

SILVANI cognomina[2]) confirmant, quod aliunde intellegi potest, Siluanum facillime aliis dis tutelaribus imprimis Herculi Laribusque sociari potuisse. Nam et Hercules et Siluanus *Conseruator*, *Custos*, *Domesticus*, *Praesens*, *Restitutor*, *Salutaris* nuncupantur. Cum Laribus autem *Casanicis* comparandus est eiusdem regionis Siluanus *Casanicus*, cum Laribus *Domesticis*, Siluanus *Domesticus* (in Illyrico), quamquam hic et Lares et Siluanus numina esse possunt peregrina. Addo ipsum Siluanum *Larem Agrestem* cognominari in titulo urbano (CIL VI 646). Omnino deum agricolam, siluicolam indicant *Agrestis*, *Herbarius*, *Felix*; deum tutelarem *Conseruator*, *Custos*, *Castrensis*, *Praesens*; deum salutis tutorem *Salutaris* et fortasse *Restitutor*.

BONAE DEAE Fauni comitis munus principale agros tutandi antiquiore aetate in obliuionem abiit. Neque enim supersunt cognomina quae id lucide demonstrent. Nam quod *Agrestis*, *Cereria*, *Felix* appellata est, hoc non tantum ualet quia *Cereria* Aquileiae tanquam medicinalis dea culta est; *Agrestis* autem et *Felix* cognominata est ab homine, qui illi uotum soluit 'ob luminibus restitutis'. Medicinale eius officium[3]) ostendunt praeterea cognomina qualia sunt *Nutrix*, *Domina*, *Compos* (i. e. quae hominem *uoti compotem* fecit saluauitque),

---

1) Vocabula Gallica non Latina uidentur *Alator* CIL VII 85, cf. Ihm apud Pauly-Wiss. s. u. (aliter Roscher in lexico II 2396, 23) et *Leucetius* siue *Loucetius* cf. Ihm ap. Roscherum II 1982, 26 (aliter Corssen Aussprache I² 408).

2) Testimonia aetatis liberae reipublicae omnino desunt.

3) Cf. Macrob. S. I 12, 26 *quod in aede eius omne genus herbarum sit ex quibus antistites dant plerumque medicinas.* Quae dea salutaris eadem est atque dea graeca Δαμία. Cf. Wissowa ap. Pauly-Wiss. s. u. *Bona Dea*; R. Peter ap. Rosch. I 943 seq.

Oclata (= *Oculata*)[1]), *Lucifera*, *Restituta* (propter lumina oculorum *restituta*). Denique quia totius uitae locique tutatrix putabatur, Pagana et Castrensis[2]) et Arcensis Triumphalis (i. e. arcus triumphalis praeses) nominata est, quibus cognominibus accedunt eponyma quaedam personalia uelut Galbilla (cf. p. 35).

II

De dis Italicis.

Venio ad alteram deorum classem, deos Italicos, eos dico quorum cultus Romam inuectus est, ex quibus praecipue quattuor hic tractandi sunt, FORTVNA quae propter cognominum grauitatem frequentiamque inter numina Italica easdem fere partes sustinet quas inter indigetes deos Iuppiter, VENVS, dea Iunoni comparabilis, si perpenderis numerum cognominum falsorum, denique MINERVA et DIANA, deae ornatae cognominibus Graecanicis.

In FORTVNAE cognominibus recensendis caue fidem habueris testimoniis Plutarchi, qui in libro 'de fortuna Romanorum' et in 'Quaestionibus Romanis'[3]), ubi de Fortuna Breui αἴτιον exponit, multa confuse et parum accurate protulit, a Seruio Tullio diuersos Fortunae cultus Romae institutos esse, *Fortem* Fortunam Τύχην Ἀνδρείαν esse[4]), Fortunam Primigeniam in numero antiquissimarum Fortunarum fuisse, cum de eius cultu urbano non ante a. 550 = 204 constare uideatur, denique eandem Fortunam Primigeniam aedem in Capitolio habuisse, cum re uera fuerit in colle, Fortunam autem Respicientem in Esquilino, cum Basis Capitolina eius uicum in Palatio situm ostendat.[5]) Quae cum ita sint, non temere concluseris '*cognomina*', quae quidem apud unum Plutarchum occurrant, mera esse epitheta, ut minime in hac quaestione persistendum sit in fundamento tam debili.[6]) Inter cognomina, quae deae naturam laudant exornantque, principem locum obtinet Fortuna illa Praenestina *Primigenia*, cui aedes a. 550 = 204 uota est in urbe. Deinde huc referri possunt *Bona*, *Mala*, *Obsequens*, iam a Plauto commemorata, etsi haud scio an in *Bona*

---

1) Cf. CIL V 759 (Aquileiae) *auribus B(onae) D(eae)* i. e. *Bonae Deae Auritae.*

2) Cf. *Siluanus Castrensis* in eadem regione cultus.

3) Quaest. Rom. 74.

4) De fort. Rom. 5. Cf. Dionys. Hal. Antiq. Rom. IV 27.

5) Neque enim probabile est utramque deam bina habuisse templa.

6) Notatu dignum est in fonte unde hauserit Plutarchus, cognomina litterarum ordine disposita fuisse, id quod declarat locus Q. R. 74: ... οὐ γὰρ μόνον Τύχης εὐέλπιδος (= ?) καὶ ἀποτροπαίου (= *Auerruncae? Malae?*) καὶ μειλιχίας (= *Obsequentis*) καὶ πρωτογενείας (= *Primigeniae*) καὶ ἄρρενος (= *Virilis* v. infra) ἱερὰ κατεσκεύασεν, ἀλλ᾽ ἔστιν ἰδίας (= *Priuatae*) Τύχης ἱερόν, ἕτερον δ᾽ ἐπιστρεφομένης (= *Respicientis*) ἄλλο Παρθένου (= *Virginis*) ... ἰξευτηρίας (= *Viscatae*). Qui ordo altero loco (de fort. Rom. 10) consulto turbatus est (*Primigenia*, *Obsequens* |, *Priuata*, *Viscata*, *Virgo*, *Respiciens* |, εὔελπις, *Virilis*.). Vnde nescio an explicari possint quae mendose de aedium situ tradit.

lateat epitheton Graecanicum. Neque facile cognomina aetatis imperatoriae ab epithetis distinguuntur uelut *Casualis*, *Memor*, *Praesens*, *Stabilis*. Maioris momenti alterius generis cognomina sunt quae ad tutelam hominum uel locorum spectant. Neque enim casu factum uidetur, ut Fortunae *Virgo* cui uirgines antequam nuberent togulas dedicabant in aede eius uetusta in foro Boario sita, *Muliebris* cui aedem iam a. 268 = 486 constitutam esse fama est, *Virilis* cui mulieres gratiae apud uiros adipiscendae causa sacrificabant, praecipue cultae fuerint a feminis et uirginibus.[1]) Similiter equites Romani deam peculiarem uenerabantur Fortunam *Equestrem* cui propter uictoriam a. 574 = 180 per equites obtentam templum dedicatum est. Neque minus liberae rei publicae tribuendus est cultus Fortunae *Huiusce Diei*, quo cognomine temporis tutela accurate definitur, et Fortunae *Publicae* quae duas aedes in Quirinali uidetur habuisse. Imperatorum denique temporibus Fortuna a Tutela pluribus uariisque cognominibus praedita est, inter quae tutelam generalem exprimunt *Conseruatrix*, *Seruatrix*, *Adiutrix*, *Restitutrix*, *Victrix;* uiatorum custodiam securitatemque *Dux* et *Redux;* balneorum praesidium salutare *Salutaris* et *Balnearis*, quibuscum conferri possunt *Praetoria* et *Domestica* (quae eponymis personalibus accuratius non raro definitur cf. p. 35).

Vt Iunoni ita VENERI magnum cognominum numerum tribuerunt, quae non uera fuerint cognomina. Nam ex iis quae interpolator[2]) Seruii, in paucis de religionis Romanae studiis meritus, enumerat uiginti ut Veneri imposita, quattuor *(Suada*, *Mimnermia*, *Meminia*, *Limnesia)* ad Graecam deam pertinent; unum *(Obsequens)*[3]) errore natum esse uidetur; duo *(Calua*, *Equestris?)*[4]) appellationes uolgares iudicandae sunt, ortae ex simulacris; tria *(†Postuota? Myrica* [= Marica?] *Purpurissa)* dubiae interpretationis; quinque *(Cloacina*, *Myrtea*, *Salacia*, *Lubentina*, *Lubia)*[5]) deae stirpis ignotae, quas Veneri adsimilabant; ut supersint unum eponymon *Erycina*, quae ex Sicilia

---

1) Cf. Wissowa Anal. Rom. Top. p. 7 (Fortunam) *totam esse mulierum patronam non solum Praenestinae deae comparatio docet, sed inprimis quod Romae in foro Boario Fortuna et Mater Matuta non modo uicina habent templa sed plane gemella et quae eodem die natalem suum celebrant* eqs.

2) Aen. I 720, locus omnium ad Veneris cognomina pertinentium maxime memorabilis.

3) Cf. Liu. X 31, 9 et Wissowa de Veneris simulacr. p. 7 '*Obsequentis cognomen ab ipso aedis titulo dedicatorio afuisse e Liui silentio intellegitur deberique uidetur aut populi sermonibus aut grammaticorum argutiis*'.

4) De *Calua* cf. p. 9. Fortasse *Equestris* epitheton Graecanicum est Veneri maris potenti attributum. Cf. Ποσειδῶν ἵππιος.

5) De *Cloacina* cf. Steuding apud Roscherum I 913, 2 seq.; de *Myrtea* (uel rectius *Murcia* (cf. Wissowa ap. Rosch. II 3231, 59 seq.; de *Salacia* cf. supra p. 22; de *Lubentina* et *Lubia* cf. Peter ap. Rosch. II 201, 52 seq.), qui *Lubiam* Veneris cognomen esse adfirmat perperam. Simili modo cum Venere copulatae sunt dea *Marica* (cf. Peter ap. Rosch. II 2373, 64 seq.) et dea *Libitina*, cf. Wissowa ap. Rosch. II 2034, 11 seq.

uiam fecit Romam a. 537 = 217, et quattuor cognomina uera *Verticordia*, *Victrix*, *Genetrix*, *Militaris*. Praeter *Verticordiam*, quae simulacrum accepit inter annos 537 = 217 et 550 = 204, tria cognomina sunt artissime inter se cohaerentia, de quorum aetate satis constat: *Felix* i. e. Venus *Sullana; Victrix*, i. e. Venus *Pompeiana; Genetrix* i. e. Venus *Iulia.*[1]) Venus quae fortasse antea *Felix* nuncupata est, etsi de eius cultu Campano quem statuit Preller testimonia desunt, a Sulla qui se *Felicem* i. e. ἐπαφρόδιτον (non εὐτυχῆ) appellari iussit, inter populi Romani deos recepta est. Pompeius autem cum a. 699 = 55 aedem Veneri *Victrici* dedicaret, Venerem Sullanam minime contempsit, sed Victrici deam Felicitatem tanquam comitem adiunxit. Postremo a. 708 = 46 aedem quam Veneri Victrici uouerat, Veneri *Genetrici*, quae etiam Victoria appellata est, Iulius Caesar dedicauit. Reliqua cognomina, quae perraro[2]) memorantur, incertae aetatis sunt. Sed *Iouia* iam libera re publica colebatur, fortasse etiam *Fisica* obscurae interpretationis.

De MINERVA *Capta*, cuius sacellum fuit in Caelio, i. e. *Captiua*, ut uidetur, ea scilicet dea, quae tanquam Captiua a. 513 = 241 Faleriis Romam traducta est, longe aliter sentio ac uiri docti plerique, non cognomen illud esse ratus, sed epitheton, primum quia deae simili modo Romam inlatae aut eponyma aut cognomina patria secum portauerunt, uelut Iuno Veiens et Veiis et Romae *Regina* appellabatur, neque uerisimile sit deam iam Faleriis *Captam* dictam fuisse; deinde quia inter uera cognomina simile uocabulum uix reperiri potuerit, inter epitheta autem compluria (cf. e. g. Iuppiter Puer.[3]) Duo tantum habemus cognomina Mineruae, quae ut artificum patrona Romam transiisse uidetur, indita, *Antistitis* et *Conseruatricis* in titulo aetatis imperatoriae. Nam reliqua affinitatem demonstrant cum officiis deae Graecae, in his *Medica* (uix medicorum patrona) quae libera re publica in Esquilino templum habuit; *Victrix*[4]) i. e. Νίκη uel Νικηφόρος; *Custos* i. e. Ἀθηνᾶ πολιάς, cui Cicero simulacrum in Capitolio uouit.[5])

Ad pristinam DIANAE naturam explicandam cognomina nobis tradita nihil ualent, cum neque antiquissima sint neque multa[6]) neque eiusmodi ut a Dianae Graecae natura abhorreant. Sed quamuis temporibus posterioribus Diana Italica Graecorum deae propinqua fuerit,

---

1) Wissowa primus in commentatione de Veneris simulacris Romanis his tribus cognominibus lucem attulit.

2) Semel commemorantur *Placida*, *Plagiaria*, *Proba*, *Pudica*, bis *Militaris*.

3) Cf. supra p. 9.

4) Addas Mineruam *Paciferam* non memoratam nisi in nummis Albini (Cohen 26, 27, 63, 64) et Getae (40).

5) Cf. Wissowa ap. Rosch. II 2989. 2991.

6) Praetereo cognomina Dianae peregrinae attributa in titulis Illyricis e. g. *Reginam*, *Siluestrem*. Cf. supra p. 6.

tamen multa cognomina Graecanica, quae apud poetas[1]) leguntur, numquam in cultu Romano usurpabantur, uelut Diana *Lucina* i. e. Ἄρτεμις Φωσφόρος. Duobus eponymis exceptis (*Tifatina*, *Nemorensis*) de ceteris cognominibus testimonia liberae rei publicae desunt. In titulo anni 749 = 5 *Lumpheis Dian(ae) Reducis* inscripto Diana quasi dea medica apparet, quod idem officium fortasse *Opifera* et *Compotens* exprimunt. Quamquam et *Opifera*[2]) et *Compotens* ad Dianam parturientium patronam referri possunt, ad quam certe spectant cognomina omnium saepissime memorata *Lucifera* et *Conseruatrix*. Sicut Apollo principio Medici, post pugnam Actiacam Victoris nomen meruit, ita fortasse Diana Sexto Pompeio apud Artemisium seu Dianium uicto *Inuicta* et *Victrix* compellata est.[3]) In prouinciis autem cognomina occurrunt fere nulla, et siqua memorantur, uelut *Venatrix*[4]), ea ad instar epithetorum poeticorum posita esse scias.

III

De dis Graecis inter populi Romani deos receptis.

Satis constat deos Graecos Romam uenisse uariis rationibus, id quod non parui momenti est: alii enim iique pauci uetustiores, non arcessiti Sibyllinis libris, ex Magna Graecia in oppida Latina inlati gradatim inter populi Romani deos recepti sunt atque ut ita dicam ciuitatem meruerunt, uelut HERCVLES qui Tibure Romam uenit: alii per fatales libros aut ex ipsa Italia ubi iam adfuerint, uelut APOLLO et ut uidetur MERCVRIVS, aut e locis extra Italiam sitis uelut AESCVLAPIVS et MAGNA MATER inducti sunt in urbem.

HERCVLES Tiburtinorum deus *Victoris* cognomen habuit, quod Romae non occurrit ante annum 608 = 146 quo anno Mummius ei aedem uouit, cum Romae in antiquissimo cultu *Inuictus* fuerit sollemnis ad aram Maximam appellatio. Ab his cognominibus Italicis distinguenda sunt duo cognomina uetera ex ritu Graeco petita: *Magnus Custos*, cuius aedes ad circum Flaminium iam a. 536 = 218 extitit, cum uolgo attribuatur aetati Sullanae[5]); et Hercules *Musarum*, qui a. 565 = 189 a M. Fuluio Nobiliore aedem accepit in eodem circo. Praeterea ad liberam rem publicam pertinent Hercules *Iouius* et obscurus ille Hercules *Celer*. In titulis aetatis imperatoriae Her-

---

1) Cf. maxime Catull. 34. Horat. C. I 21. III 22. IV 6. Carm. saec.
2) *Opiferae* cognomen quod in titulo Tiburtino (CIL XIV 3537) *Dianae Nemorensi* tribuitur, antiquitatis speciem prae se ferre uidetur, sed obstat *Fortuna Opifera* tituli in eadem regione reperti (CIL XIV 3539).
3) Ita primus Eckhel (D. V. N. VI p. 93), cui iure adsensus est Mommsen, quamquam *Inuicta* et *Victrix*, perraro memorata, interdum aliena significatione occurrunt e. g. *ferarum Victrix* (CIL VIII 9831 Mauret. Caes.).
4) CIL II 5638 (Tarrac.) et Cagnat, l'année épigr. 1890 n. 89.
5) Cf. Wissowa Anal. Rom. Top. p. 12. 13.

cules fontium genius tutelaris *Salutifer* et *Salutaris* appellatus est et ampliore sensu tanquam salutis custos *Adiutor*, *Conseruator* et fortasse *Restitutor*, *Compos*. Neque imperatorum[1]) modo *Comes*, *Conseruator*, *Defensor*, sed etiam hominum priuatorum *Defensor*, *Tutor*, *Tutator* erat. Denique *Domesticum* Herculem habemus, unde explicanda sunt eponyma personalia (cf. p. 35).

Sicut duae APOLLINIS aedes Romae erant, altera ad theatrum Marcelli pro ualetudine populi a. 321 = 433, altera in Palatio ob uictoriam Actiacam ab Augusto a. 726 = 78 aedificata, ita Apollo Romanus duobus maxime officiis fungebatur — erat enim deus *Medicus* i. e. Ἀλεξίκακος et deus *Victor*. Itaque non mirum est inter ueteres auctores controuersiam fuisse ualetudinisne an uictoriae causa instituti sint ludi Apollinares.[2]) Sed ante aedem Palatinam dedicatam medicinae munus uidetur fuisse praecipuum, quippe cum *Medici* cognomen omnium quae innotuerint uetustissimum sit; nam quamquam primus Liuius ad a. 575 = 179 id memorat, non dubium est quin Apollo, cui aedes illa a. 321 = 433 dedicata est pro ualetudine, iam antea *Medicus* appellatus sit, id quod confirmant etiam Vestales Apollinem Medicum indigitantes.[3]) Quod officium etiam imperatorum aetate non in obliuionem abiisse indicant Medicinalis, Salutaris. Post bellum Actiacum Apollini uictoriarum praestiti[4]) aedes in Palatio aedificata est, ad quod munus pertinent *Conseruator* et *Pacifer* et, ni fallor *Praestans*.[5])

Testimonia de MERCVRI cognominibus antiquiora omnino desunt, id quod casu factum esse potest, etsi mihi quidem magis probetur uetustiora cognomina omnino non extitisse, quia ipsum Mercuri uocabulum cognomen erat, nimirum deus ἐμπολαῖος[6]) translatus a Graecis non indigens antiquiore aetate aliis cognominibus (conferantur Siluanus, Bona Dea). Posteriore autem aetate ut multa cognomina occurrunt in prouinciis, ubi Martis socius esse solet, ita pauca in Italia et in urbe Roma. Commercii deum declarant *Mercator*, *Negotiator*, *Nundinator*, et fortasse *Censualis* et *Lanarius;* deum uiatorum i. e. mercatorum maxime custodem *Viator*, *Competalis*, *Redux*.[7])

De ceteris dis Sibyllae iussu ex locis externis arcessitis breuis

---

1) Cf. R. Peter ap. Rosch. I 2980, 59 seq.
2) Cf. Liu. XXV 12, 15.
3) Macrob. Sat. I 17, 15.
4) Apollo Palatinus num *Victoris* cognomen habuerit incertum est, etsi Propertius (IV 6, 69, 70) *Victorem* nominat.
5) Addas *Propugnatoris* uocem non memoratam nisi in nummis Valeriani (Coh. 21) et Gallieni (57).
6) Ἑρμῆς ἐμπολαῖος cf. Prell. Rob. p. 414.
7) *Victor* Mercurius appellabatur deus peregrinus neque *Menestrator Nuntiusque* titulorum urbanorum (CIL VI 84. 142) ad ipsum cultum spectare uidentur. *Pacifer* nuncupatur apud Ouidium (M. XIV 291, cf. F. V 665) et in Postumi nummo (Cohen 254).

esse possum. AESCVLAPIVS, qui tanquam alter Apollo a. 461 = 293 pro populi ualetudine accitus est[1]), propter uirtutem medicinam *Salutaris* appellabatur aeque ut HYGIA eius comes sollemnis. MENS[2]) dea quae a. 537 = 217 Romam migrauit, cognomen *Bonae* et in titulis et apud scriptores frequens secum adtulisse uidetur; neque pluribus cognominibus MAGNA MATER[3]) a. 549 = 205 Pessinunte Romam ad Hannibalem ex Italia pellendum introducta digna habita est, cuius sollemnis appellatio solet esse Mater Deum Magna Idaea.

IV

De numinibus quae 'abstracta' appellantur.

Numina quae supra dixi 'abstracta' ex antiquissimis temporibus Romae coli numquam desierunt, floruerunt autem maxime imperatorum aetate. Quorum origo fortasse ex cognominibus illis deorum uirtutes significantibus repetenda est, uelut *Libertas* ex Ioue *Libertate* (cf. supra p. 13), *Fides* ex Dio *Fidio* i. e. Ioue *Fidio*, quoniam Fides semper cum Ioue artissime cohaeret, *Victoria* ex Ioue *Victore*. Sed quomodocumque res se habet, satis constat temporibus historiae fide stabilitis uocem *Victoriae* et cognomina *Victoris* uel *Victricis* inter se mutari potuisse. Nam in Catonis denario inter a. 650 = 104 et a. 660 = 94 cuso[4]) Victoriae simulacro VICTRIX adscriptum est et in nummis Iuliae Domnae[5]) pro *Venere Victrici* legitur *Venus Victoria*. Praeterea Veneris *Victricis* aedem a Pompeio aedificatam interdum aedem *Victoriae* appellari intellegi potest ex Tironis uerbis apud Gellium (X, 1, 7), nec non afferri possunt tituli Marti *Victori* uel Marti et *Victoriae* dedicati.[6]) Vix autem opus est adnotare numinibus ita comparatis cognomina non addi potuisse nisi ea quae aut laudibus exornent numina (uelut *Fausta Felicitas*) aut spectent ad homines cum illis numinibus copulatos (uelut *Pudicitia Plebeia*, *Victoria Sullana*, *Fides Militum*). Ceterum cognomina illa raro in cultu usurpata sunt.[7])

Eponyma quamquam saepe in cognomina transeunt, ab hac quaestione abesse uolui, quia crebriora sunt quam ut intra huius

1) Liu. X 47, 7. 2) Liu. XXII 9, 7—10. 3) Liu. XXIX 10, 4. 5.
4) Cf. Mommsen, Röm. Münzwesen no. 197.
5) Coh. 99, 100.
6) De *Marte Victore* cf. index. *Mars* et *Victoria* occurrunt in titulis CIL III 1098 (Dacia). 1600. VII 926 (Brit.). 1068. VIII 2465 (Numid.). Similis ratio intercedit inter *Felicem* et *Felicitatem*.
7) Eius generis in indice enumerata reperies: *Aeterna* (Pax, Roma, Victoria), *Bona* (Victoria), *Comes* (Victoria), *Fausta* (Felicitas), *Inuicta* (Roma), *Noua* (Concordia), *Perpetua* (Pax), *Plebeia* (Pudicitia), *Publica* (Felicitas, Fides), *Redux* (Victoria), *Victrix* (Victoria), *Virgo* (Victoria). *Patriciam Pudicitiam* (cf. Liu. X 23) numquam extitisse ostendit Wissowa Anal. Rom. Top. p. 8, 9.

libelli fines pertractari possint, et quia omnibus dis promiscue tribui solita parum ualent ad definiendam singulorum deorum uim naturamque. Inter quae tamen nonnulla sunt, quae tutelae notionem cognominibus inhaerentem in singulos homines transferant, ut commode dici possint eponyma personalia consequenter deducta ex domestico tutelarique officio, id quod iam in Fortuna obseruauimus.[1]) Eponymorum personalium exempla haec composui[2]):

BONA DEA[3])	GALBILLA	CIL VI 30855 Vilicus horreorum *Galbianorum*, cf. VI 236.
DIANA	CARICIANA	CIL VI 131 (a. 218 p. Ch.) Marcus Aurelius *Caricus*.
„	VALERIANA	CIL VI 135 Publius *Valerius* Bassus.
FORTVNA[4])	CRASSIANA	CIL VI 186.
„	FLAVIA	CIL VI 187.
„	TORQVATIANA	CIL VI 204.
„	TVLLIANA	CIL VI 8706.
HERCVLES	AELIANVS	CIL IX 1095 (Aeclani).
„	COCCEIANVS	CIL VI 3687.
„	IVLIANVS	CIL VI 334.
„	NERIANVS	CIL X 4851 (Venafris).
„	(NOVELLIANVS)	CIL X 3799 (Capuae); u. infra not. 1.
„	ROMANILLIANVS	CIL VI 645.
IVPPITER	PVRPVRIO	CIL VI 424 Licinia *Purpuris*.
LIBER PATER[5])	COMMODIANVS	CIL XIV 30 (Ostiae).
„ „	GRATILLIANVS	CIL IX 2631 (Aeserniae).
„ „	PROCLIANVS	CIL VI 466.
SILVANVS[6])	AVRELIANVS	CIL VI 631 (a. 177 p. Ch.), cf. 649.
„	CAMINENSIS	CIL VI 690.
„	NAEVIANVS	CIL VI 645.
„	VALENTINVS	CIL VI 698.
„	VETVRIANVS	CIL XI 3082 (Faleriis).

---

1) E. g. '*Fortuna aeterna domus Furianae*' (CIL III 8169) intellegenda est et Fortuna *Domestica* et Fortuna *Furiana*; '*Hercules Tutor domus Nouellianae*' (CIL X 3799), et Hercules *Domesticus* et Hercules *Nouellianus*. Qui di (Fortuna, Hercules) aeque ut Iuppiter Siluanusque diserte *Domestici* dicuntur, u. indicem.
2) Non recepi nisi certa in titulis commemorata.
3) Fortasse addendae sunt Bona Dea *Anneanensis* CIL VI 69, Eph. IV 722 et Bona Dea *Seuina* CIL XIV 3437 (Ciuitellae).
4) Fortasse eiusdem generis sunt Fortuna *Cancesis?* CIL VI 185, *Folianensis* IX 2123 (Vitulani), *Pientiana* Eph. IV 727.
5) Incertae significationis sunt *Kallinicianus* CIL VI 463, *Tasibastenus* III 703, 704.
6) Cf. praeterea *Caesarianensis* CIL IX 2113 (ager Beneuent.); *Lusianus* 2125; *Publicensianus* 2126 (Vitolani); *Staianus* 1552 (Beneuenti). Eiusdem regionis est Siluanus *Casanicus*.

INDICES

I*

Adivtrix Fortvna CIL VI 179: *Fortunae Adiutrici et Tutelae.* Cf. CIL III 5314 (u. *Nutrix Bona Dea*).

Adivtor Hercvles CIL XI 1319 (Lunae): *Herculi Adiutori pro salute.*

" Neptvnvs CIL XIV 3558 (Tibure): *Neptuno adiutori sacrum.*

Adstator Liber CIL VI 467: *Deo sancto numini, deo magno Libero patri et Adstatori et Conserbatori h(uius) l(oci) coll(egium) Velabrensium.* Vinarii titulum uidentur posuisse.

Adventvs Ivppiter CIL III 6340 (Dalmat.): *I. O. M. Aduento pro salute et u[ic-]t[oria]* Mommsen haec adnotat: *ara uidetur dedicata esse Ioui Optimo Maximo Aduento, i. e. qui esset genius adventus Augusti pro salute et uictoria imperatoris nescio cuius.* Cf. *Aduentus* in imperatorum nummis praecipue Hadriani.

Aeterna Fortvna CIL III 8169 (Moes. Sup.): *Fortunae aeternae domus Furianae ... pro [salute].*

Aeterna Lvna CIL VI 755: *Soli Inuicto et Lunae Aeternae.*

" Pax CIL VI 200 (a. 70 p. Ch.): *Paci Aeternae domus imp(eratoris) Vespasiani.* VIII 8441? (Mauretan.): *[pa]ci aeternae Aug(ustae).* In nummis a Commodo usque ad Maxentium.

Aeterna Roma CIL X 16 (Locris): *I. O. M Dis Deabus Immortalibus et Romae Aeternae.* III 1422 (Dac. a. 238 p. Ch.): *Fortunae Reduci Lari Viali Romae Aeternae.* VII 370 (Brit.): *Genio loci, Fortunae Reduci, Romae Aeternae et Fato Bono.* 392: *Romae Aeternae, Fortunae Reduci.* VIII 1427 (Prou. Procons.). 6965 (Numid.). In nummis ab Hadriano usque ad Attalum. Cf. praeterea Dio Cassius LXII 15. LXXV 4 ʽΡώμη ʼΑθάνατος. Tibullus II 5, 23.

Aeterna Victoria CIL XIV 2257 = VI 3734 (ager Alban. a. 220 p. Ch.) II 5245? (Lusitan.). VIII 9754 (Mauret. a. 196 p. Ch.?) In nummis ab Septimio Seuero usque ad Maxentium.

Agrestis Bona Dea CIL VI 68: *Felix Publicus Asinianus pontific(um) Bonae Deae Agresti Felic....u... uotum soluit ... libens animo ob luminibus restitutis.*

Agrestis Silvanvs Gromat. Vet. (Lachm. p. 302, 14): *omnis possessio tres Siluanos habet. unus dicitur domesticus possessioni consecratus. alter dicitur agrestis pastoribus consecratus. tertius dicitur orientalis, cui est in confinio lucus positus, a quo inter duo pluresue fines oriuntur.* Cf. CIL VI 646 *Siluano Lari Agresti.*

*Aivs Locvtivs? u. p. 20.

Amicvs Mars u. *Consentiens.*

Anna Perenna? u. p. 17.

*Antevorta u. *Porrima Postuerta.*

Antistes Minerva CIL XIV 44 (in Portu Aug.): *Numini euidentissimo Mineruae Aug(ustae) sacrum Conseruatrici et Antistiti splendidissimi corporis stuppatorum.*

Antistes Vesta CIL VI 788: *Vestae sacrum Antistiti praediorum Heluidianorum.*

*Arborator Ivppiter Notit. Reg. XI *aedem Matris Deum et Iouis Arboratoris* (cod. opt. *Arborator;* Anonym. Magliabecchianus saec. XIV et cod. Sesso-

---

*) Desunt in hoc indice: *Augustus, Diuus, Mater, Pater, Sanctus.* Cf. p. 23. Cognomina, quibus asteriscus adpositus est, non leguntur nisi apud scriptores.

rianus saec. XV *arbitrator;* Preller, Regionen p. 192 *liberator;* cf. Iordan Top. II 558—559). Aust apud Roscherum II 661, 53 seq. iure probat Iordani explicationem: *ein Iuppiter Arborator scheint nicht undenkbar als Gartengott oder Silvan-Iuppiter.* Gilbert (Top. III 436, 1) Iouem Arboratorem cum Magna Matris cultu coniungit.

Arcanvs Ivppiter (uel *Arkanus* CIL XIV 2937, 2972). Eius cultores in titulis Praenestinis commemorantur; CIL XIV 2937: *Amatores regionis macelli cultores Iouis Arkani,* 2972 (a. 243 p. Ch.): *cultores Iouis Arkani regis macelli.* Deus sortilegus erat, quod apparet ex carmine epigraphico Praenestino CIL XIV 2852 = Buecheler 249: *Fortunae simulacra colens et Apollinis aras Arcanumq. Iouem.* Cf. *Cereris sacrum .... arcanae* Horat. C. III 2, 26, 27.

Arcensis (Trivmphalis) Bona Dea Eph. VIII 183 (Alba Fucente): *Bonae Deae Arcensi Triumphal[i].* Cf. CIL XI 3243: *Bonae Deae Regi[nae] Triumphali.* VI 355: *Isidi .... triumphali.*

Armiger?? Mars CIRh 996: *Deo Marti Arm(igero?).* Cf. *Mars Armipotens* Verg. A. IX 717. Stat. Theb. II 344.

*Averrvnca? Fortvna u. *Mala.*

Avxiliator Mars CIL III 1443 (Dac. a. 110 p. Ch.): *I. O. M. Romulo Parenti Marti Auxiliatori.*

Balnearis Fortvna CIL II 2701 (Tarrac.): *Fortunae Balneari .... pro salute.* 2763. Cf. VI 182: *Fortunab(us) bal(nei) Verul(i),* Fronto de orat. p. 157 (Nab.) *balnearum etiam Fortunas ... reperias.* Cf. *Fortuna Salutaris.*

Barbata Fortvna dea *uirorum* (Tertull. ad nat. II 11) *quae adultos barba* induit (Augustin. c. d. IV 11. cf. VI 1.). Fortuna, quae barbas praestat *Barbata* appellata esse potest eodem modo atque Bona Dea quae ualetudinem restituit, *Restituta* (q. u.) nuncupatur. Fortasse cognomen e nescio quo simulacro ortum est, ad quod uolgus uota susceperit pro barba. Cf. *Barbatus Hercules* p. 9.

Bona Fortvna, quae iam apud Plautum commemoratur (Aul. 100 *Si Bona Fortuna ueniat, ne intromiseris*), principio non alia uidetur fuisse quam ʼΑγαθὴ Τύχη. Cicero Verr. 2. 4. 3. 7 et Plinius N. H. XXXVI 23 ʼΑγαθὴν Τύχην *Bonam Fortunam* latine reddunt. Eius cultum testantur tituli CIL VI 183. 184: *Fortunae Bonae Salutari.* III 1009 (Dac.): *Fort. Bonae Domestic(ae).* 4355 (Pann. Sup.). XII 993? (Gall. Narb.). Orell. 1743 (Perusiae, a CIL vol. XI abest neque inter titulos spurios inuenitur). In nummis Valeriani I (Coh. 24) et Gallieni (Coh. 72).

Bona Mens. In titulis extra Romam maxime a seruorum uel libertorum collegiis positis: CIL X 472 (Paesti cf. nummus Paestanus, Garrucci, Le Monete dell' Italia antica, Roma 1885 tab. 122, no. 36. 37). X 1550 = I 1237 (Puteolis). X 4636 (Calibus). X 6514 = I 1156 (Corae). XIV 3564 (Tibure). IX 3910 = I 1167 (Alba Fucente). IX 3911 = I 1168. XI 1327 (Lunae). Num '*Mens Bona*' quod uolgo dicunt scriptores (uide testimonia ap. Peterum in Roscheri lexico II 2799, 10 seq.) eadem sit dubitari potest.

Bona Valetvdo CIL VIII 9610 (Mauret. Caesar.): *Bonae Valetudini ... ex responso Herculis.* Cf. Petron. 88.

Bona Victoria CIL III 1600 (Dac.): *Marti Patri Conseruatori et Bonae Victoriae.*

*Brevis Fortvna Plutarchus Q. R. 74 hoc αἴτιον exponit 'Διὰ τί Μικρᾶς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο Σερούιος Τούλλιος ὁ βασιλεὺς ἣν 'βρέβεμ' καλοῦσι'. Alibi non memoratur.

*Caprotina Ivno, cui Nonis Caprotinis i. e. Iul. 7 sacrificabatur (Varr. l. l. VI 18. Macrob. S. I 11, 36. Similia narrant sed cognomen tacent Plut. [Rom. 29, Camill. 33], Ouidius [a. a. II 257], Polyaenus [VIII 30], Fasti Siluii.). Tantum cognomen memorat Arnobius (III 30). 'Nonas Caprotinas' habent praeter Varronem, Macrobium, Plutarchum, Ausonius (de feriis 9) et titulus Pompeianus (CIL IV 1555 *Capratina*). Cf. Mommsen CIL I^2 p. 321.

Casanici Lares CIL IX 725 (Larini): *C. Saluius Eutychus Lar(ibus?) Cas(anicis?) ob redit(um) Rectinae n. v. s.*

Casanicvs Silvanvs CIL IX 2100 (ager Beneuent.): *pro salute et reditu . . . Siluano Casanico.*

Castrensis Bona Dea Eph. IV 723 (Romae): *Bonae Diae Castresi* (sic!) CIL V 760 (Aquileiae) *Augustae B[onae Deae?] Castrensi.*

Castrensis Silvanvs CIL V 524 (Tergeste): *Siluano Castrensi.*

Casvalis Fortvna CIL III 10265 (Pann. Inf.): *Fortuna[e] Casual[i] Ael. Balbin[o].*

*Cela u. *Panda Cela.*

Celer Hercvles CIL VI 304 = I 815 (circa a. 654 = 100 cf. Wilmanns Exempla Inscript. Lat. no. 38): *Hercoli Celeri dat A. Rutilius P. l. Antiochu(s).* Cf. *Celeri . . . Dianae* Ciris 297. *Mercurius Celer* Horat. C. II 7, 13.

Censvalis Mercvrivs? CIL III 5943 (Raet. a. 204 p. Ch.): *In h(onorem) D. D. Deo M[ercurio?] Censuali pro s[alute* $\overline{d}\overline{d}$*]* $\overline{N}\overline{N}$ *Augg. Impp. S[eueri et] Antonini . . . . . Neg(otiatores) D. D.*

*Cenvlvs Ianvs Corn. Labeo apud Lydum de mens. IV 1 Ἰανὸν Κήνουλον οἷον εὐωχιαστικόν. Cf. Cedren. I p. 295, 7 Bonn. Ῥωμαῖοι Κίβους τὴν τροφὴν ἐκάλουν, ἐξ οὗ καὶ Ἰανὸν Κιβούλλιον διὰ τὸ εὐωχιαστικόν. Roscher in lexico II 39, 12 putat Ianum uelut cenarum artis inuentorem ita esse cognominatum. Sed haud scio an subsit merum epitheton.

Cereria Bona Dea CIL V 761 (Aquileiae): *Augustae Bonae Deae Cereri[a]e sacrum . . . . . aedem . . . . de pecunia sua fecit* e. q. s.

Cereria Mater Magna CIL V 796 (Aquileiae): *M(atri) D(eorum) M(agnae) Cereriae u. s. Fruticia Thymele.*

Chortalis Ivppiter CIL III 1782 (Dalmat.): *I. O. M. Chortali.* 8370: *I. O. M. C[(h)o]r[tali]?*

*Cibvllivs? Ianvs u. *Cenulus.*

*Clvsivivs Ianvs u. *Patulcius Clusiuius.*

Comes Hercvles CIL VI 305: *Deo Herculi Comiti et Conseruatori dominorum nostrorum.* In nummis a Commodo usque ad Maxentium.

Comes Mars. In nummis Maxentii (Coh. 16. 77—80). Apul. Metam. VII 10: *supplicatum Marti Comiti pergimus;* sed haud scio an merum epitheton subsit.

Comes Victoria Notiz. degli Scavi 1891 p. 251 (Romae): *Victoriae Augusta[e] [c]omiti dominorum [sa]ncti . . . . . . imo . . . nostror* e. q. s.

Compitales Lares (= ἥρωες προνώπιοι Dionys. Hal. IV 14, 3) i. e. Lares quibus in compitis, *ubi uiae competunt* (Varr. l. l. VI 25) sacrificabatur. Feriae autem *Compitalia* cognomine antiquiores esse uidentur. Legitur apud Varronem (l. c. C. O. Muelleri coniectura propte certa, codd. *Laribus ut alibi*) et apud Dionysium Hal. (l. c.). Philargyrus (ad Verg. Buc. II 382) de Laribus *Compitaliciis* mentionem fecit, quae cognominis forma ex collegiis compitaliciis aut ludis compitaliciis exorta esse uidetur. In titulis: CIL XI 3079 (u. *Semitales*). CIRh 1139 (u. *Quadriui*). De grauissimo eorum cultu cf. Wissowa ap. Rosch. II 1872, 31 seq. Cognomen autem, ut ex his rebus lucet, non est saepe usurpatum.

Compitalis Mercvrivs CIL II 5810 (Tarrac.): *Mercuri[o] [Com]petali.*

*Compitalicii Lares u. *Compitales.*

Compos Bona Dea CIL VI 71: *Bonae Deae Compoti sacrum.*

Compos Hercvles CIL IX 5731 (S. Vittore): *[H]erculi Compoti L. Masurius Bassus d. d.*

Compotens Diana CIL XI 3198 (Nepete): *Compotenti Dianae.*

Consentiens Mars CIL III 897 (Dacia): *Marti Amic[o] et Consentienti.* Ab eodem homine Mercurius Consentiens inuocatus est (uide seq.)

Consentiens Mercvrivs CIL III 898 (Dacia) *Mercurio Consentienti.* Cf. *Mars* Consentiens.

Conservator Apollo. In nummis ab Aemiliano usque ad Tetricum CIL III 3631 (Pann. Inf.). An deus peregrinus? cf. Domaszewski, Religion des röm. Heeres p. 53.

Conservatrix Diana CIL V 3223 (Veronae): *Dianae Conseruatric[i] pro salute.*

In nummis Gallieni, Saloninae, Claudii II, Carausii. Praeterea in duobus titulis Illyricis CIL III 3074 (Dalmat.) 3632 (Pann. Inf.), ubi fortasse Diana dea peregrina intellegenda est. Cf. Domaszewski, Religion des röm. Heeres p. 53.

Conservatrix Fortvna CIL VI 236: *Genio Conseruatori horreorum Gallianorum, Fortunae Conseruatrici horreorum Gallianorum.* III 4289 (Pann. Sup. a. 269 p. Ch.): *Genio loci et Fortunae Conseruatrici . . . . pro salute.* 4558 (a. 249 p. Ch.): *Fortunae Conseruatrici Genioq. huius loci.* 10400 (Pann. Inf.): *Fortun(ae) C[o]nseruatrici et Bonae Deae Iunoni.* 1938 (Dalmat.): *pro salute.* VII 211 (Brit.) 954. Eph. VII 1015 (Brit.). Cf. CIL VII 296 *Fortunae Seruatrici.*

Conservator Hercvles CIL VI 305 (u. *Comes*). 306. 307 (a. 159 p. Ch.). V 5606 (ager Mediolan.): *Herculi Inuicto Conseruatori Iuuentiarum.* III 1564 (Dacia a. 198—211 p. Ch.): *Herculi Conseruatori Augustorum dominorum nostroruu . . . . pro salute.* 1026. 1027. VIII 2346 (Prou. Numid.). 14808 (Prou. Procons.). In nummis a Diocletiano usque ad Constantinum I.

Conservatrix Ivno saepe in Augustarum nummis, Iuliae Domnae, Iuliae Paulae, Maesae, Mammaeae, Saloninae memoratur neque alia atque Iuno partus dea i. e. *Lucina* uidetur esse. Vox fortasse cognomen erat, quamquam in titulis (praeter unum lectionis parum certae, CIL XII 2721 *Ma . . . . conseruatrici,* ubi Hirschfeld *[Iunoni] Ma[gnae] Conseruatrici* proponit), non occurrit.

Conservator Ivppiter primum memoratur in Augusti nummis (Coh. 19) posterius saepissime in nummis usque ad Constantinum II. Domitianus a. 69 p. Ch. ab Iouis aedituo conseruatus, postea *potiente rerum patre . . . . . modicum sacellum Ioui Conseruatori aramque posuit casus suos in marmore expressam* (Tacit. Hist. III 74). In titulis: CIL VI 406. 423. IX 4852 (u. *Seruator*). X 403 (Volceis). III 1020 (Dacia). 1032. 1084. 1085. 1301. 10960 (Pann. Sup.). 3461 (Pann. Inf.). 5185 (Noricum). 5788 (Raetia). 7446 = 6129 b (Moes. Inf.). VIII 1628 (Prou. Procons.). 2620 (Numidia) 6353. 12209 (Prou. Byzac.).

Conservator Liber CIL VI 467 (u. *adstator*). V 5543 (infra locum Verbanum): *I. O. M. C. et Libero patri uiniarum Conseruator[i].* VIII 9016 (Mauretan. Caesar. a. 235 p. Ch.): *Dis Sanctis Libero et Liberae Conseruatoribus domo[rum et rer]um.*

Conservatrix Libera CIL VIII 9016 u. *Conseruator Liber.*

Conservator Mars CIL VI 485: *Marti Conseruatori Augg. nn.* V 5081 (Sublauione): *Marti Aug. Conseruatori corporis sui . . . ex iussu numinis ipsius sigillum . . . . posuit.* III 1099 (Dacia): *Pro Salute Augg.* 1600: *Marti patri Conseruatori et Bonae Victoriae.* VIII 8390 *(Mauretan.): G(enio) m(unicipi) S(atafensis) Marti Aug. Conseruat[o]ri salutis.* 2345 (Numidia): *Genio Virtutum, Marti Aug. Conseruatori.* 17835. 14454 (Prou. Procons.): *Marti Conseruat[ori] pro salute impp. Seueri et Antonini et G[etae Cae]s.* Eph. VII 876 (Brit.). In nummis a Vespasiano usque ad Constantinum I.

Conservator Mercvrivs CIL V 6596 (ager Nouariens. a. 196 p. Ch.): *Mercurio lucrorum potenti et conseruator(i) sacr(um).* In Gallieni nummo (Coh. 362). Praeterea cf. CIL VIII 51 (u. *Praeses*).

Conservatrix Minerva CIL XIV 44 (u. *Antistes*).

Conservator Satvrnvs CIL V 3293 (Veronae): *Saturno Conseru[atori].* An peregrinus deus?

Conservator Silvanvs CIL IX 3076 (Sulmone): *[S]iluano Conseruator[i] . . . . . . felicissimus acto[r] d. d.* CIRh 1746 (a. 212 p. Ch.): *I. O. M. Siluano Cons(eruatori) Dianae Aug(ustae)* CIL III 7087 (Pergami).

Consiva Ops cf. supra p. 21. Varro l. l. VI 21: *Opeconsiua dies a dea Opeconsiua.* Festus. p. 186: *Itaque illa (Ops) quoque cognominatur Consiua et esse existimabatur terra.* Cf. Fest. p. 249, 17. Macrob. S. III 9, 3, 4: *deam in cuius tutela urbs Roma est . . . Opem Consiuiam esse dixerunt.* Fast. Allif. Maff. Vall. ad Aug. 25 *Opic(onsiuia).* Cf. maxime Wissowa de feriis Anni Rom. p. IV seq. et in Roscheri lexico I 927, 4 seq. Noli confundere cum *Consiuio.*

*Consiuius Ianus (rectius *Conseuius*). Teste Macrobio (Sat. I 9, 15, 16) Ianus appellabatur Consiuius *a conserendo i. e. a propagine generis humani quae Iano auctore conseritur.* Quandoquidem Augustinus (c. d. VII 2) qui dicit Ianum *aditum* aperire *recipiendo semini,* et Tertullianus (ad. nat. II 11) qui deum Conseuium *consationibus concubitalibus* praeesse memorat, eundem auctorem secuti esse uidentur, ex duobus testimoniis deus *Ianus Conseuius* colligi potest. Sane *Conseuius* melius dicitur quam *Consiuius.* Non autem recte Labeo ap. Lydum (de mens. IV 1 Ἰανὸν κοσίβιον τουτέστι βουλαῖον) *Consiuium* a *consulendo* deriuat. Cf. Wissowa de feriis anni Rom. p. VI. Mommsen CIL I² p. 327.

*Couella Iuno Varro l. l. VI 27: *Primi dies mensium nominati Kalendae, quod his diebus calantur eius mensis Nonae a pontificibus quintanae an septimanae sint futurae, in Capitolio in curia Calabra sic dicto quinquies Kalo Iuno Couella, septies dicto Kalo Iuno Couella* (codd. *dictae quinque .... septem dictae;* L. Spengel cum Turnebo *dicto quinquies ... septies dicto;* Scaliger *dies te quinque ... septem dies te*). Cognomen nisi hoc loco non traditum est, de more autem nos docent Macrobius (S. I. 15, 10, 19), Verrius Flaccus (Fast. Praen. ad kal. Ian.), Seruii interpolator (A. VIII 654). Cf. Plut. Q. R. 24. Lydus de Mens. III 7. Iuno Couella Iunoni Kalendari (q. u.) Laurentinae non dissimilis uidetur fuisse.

Cultor? Iuppiter Fast. Philocal. ad III. Id. Mart. = Mart. 13: iovi cultori $\overline{CM}$ *XXIIII. Cultori* fortasse corruptum ex *Custodi* uel *Vltori;* neque enim alias Iuppiter Cultor apparet. Cf. Mommsen CIL I² p. 311.

*Curiatius Ianus. Sub Tigillo Sororio arae duae erant, una Iani Curiati, altera Iunonis Sororiae (Fest. p. 297 cf. p. 307. Dionys. Hal. III 22. Schol. Bob. ad Cic. pro Mil. 3 p. 277 Orell.), ubi Kalendis Octobribus, die et Iano et Iunoni sacro quotannis sacrificabatur (Fast. Aru. Oct. 1. cf. Mommsen CIL I² p. 330). Veteres ad fabulam de Horatiis Curiatiisque referentes Ianum intellexerunt tanquam ἔφορον εὐγενῶν (Labeo ap. Lyd. de mens. IV 1. Fest. l. c. Dionys. Hal. l. c. Ἰάνου ... ἐπωνύμου δὲ Κορατίων). Quamquam cognomen fabula antiquius est, hoc recte se habet, ut fuerit Ianus, in quo praeterea cognomen *Patricii* deprehendimus, gentium patriciarum uel curiarum custos, aeque ut Iuno Sororia feminarum genius accipi potest.

Curis Iuno u. *Quiritis.*

Curitis Iuno u. *Quiritis.*

Curritis Iuno u. *Quiritis.*

Custos Hercules u. *Magnus Custos.*

" Iuppiter. Inde a Nerone usque ad Caracallam frequens in nummis. Domitianus (cf. *Conseruator Iuppiter*) *imperium adeptus Ioui Custodi templum ingens* [in Capitolio, Suet. Domit. 5] *seque in sinu dei sacrauit* (Tacit. Hist. III 74). In titulis CIL VI 376 (a. 157 p. Ch.): *Ioui Custodi et Genio thesaurorum.* XIV 3557 (Tibure). V 8795 (Cenedae). III 10425 (Pann. Inf.).

Custos Mars CIL III 3232 (Pann. Inf.): *I. O. M. Marti Custodi.* 7856 (Dacia): *Deo Mercurio, Mar[ti] Cus(todi)?*

Custos Minerva (= Φύλαξ Plut., Φυλακίς Dio Cass.) i. e. urbis custos, dea Graecanica (cf. Ἀθηνᾶ πολιάς Prell. Rob. I 219) a Cicerone colebatur (Cic. de domo 144), qui in exilium profecturus deae statuam in Capitolio dedicauit (Cic. de leg. II 42. Dio Cass. XXXVIII 17, 5. Plut. Cic. 31), quae a. 711 = 43 ex caelo tacta est (Cic. Epist. XII 25, 1. Dio Cass. XLV 17, 3). Cognomen redit in titulo urbano CIL VI 529.

Custos Silvanus (= Φύλαξ) CIL VI 640: *Siluano Custodi Papirii* Σιλβάνῳ Φύλακι Παπείριοι Cf. *Siluane sacra semicluse fraxino et huius alti summe custos hortuli* in carmine epigraphico CIL XII 103 (Gall. Narb.) = Buecheler 19.

Cyprius Mars CIL XI 5805 = Henz. 5669 (Iguuii): *[Ma]rti Cyprio .... signum marmoreum ex uoto posuit et aedem uetustate con(lapsam) refecit.* Cf. Varro l. l. V 159: *ciprum sabine bonum.*

*Dapalis Iuppiter deus cui daps — *daps apud antiquos dicebatur res diuina quae fiebat aut hiberna semente aut uerna* (Fest. ap. Paul. p. 68) — dabatur,

fecunditatis largitor, cuius precationis formulae apud Catonem (de agr. CXXXII) seruantur.

*Decima Nona Parca u. p. 20.

Defensor Hercules. In titulo ad a. 159 p. Ch. pertinente (CIL VI 307) memoratur, sed maxime a Septimio Seuero cultus esse uidetur. Cf. huius nummos (Coh. 124—127) et titulos urbanos CIL VI 308 (a. 193 p. Ch.). 210 (a. 208 p. Ch.): *pro salute* $\overline{D}$ $\overline{D}$ $\overline{N}$ $\overline{N}$ *Herculem Defensorem Genio Centyriae ex uoto posuit L. Domitius* eqs. Praeterea cf. VI 309 *Herculi Defensori Papirii* Ἡρακλει Ἀλεξικάκῳ Παπείριοι (u. Custos Siluanus). Interpretatio CIL VI 333 incertior est: *H(erculi?) V(ictori?) D(efensori?).*

Defensor Iuppiter CIL III 8024 = 1590 (Dacia): *I. O. M. Defensori et Tutatori.* In Commodi nummis *Defensor Salutis Augusti* (Coh. 78. 557).

Dendrophorus Silvanus CIL VI 641: *Siluano Dendrophoro sacrum M. Poblicius Hilarus ... Dendrophoris M(atris) D(eum) M(agnae) de suo fecit.* Poblicius simulacrum Siluani Dendrophori (i. e. ad Dendrophororum collegium pertinentis) Dendrophoris fecisse uidetur. Similiter in titulo Ostiensi (CIL XIV 67) signum Terrae Matris *Dendrophoris Ostiensium* donatum inuenimus, ut sit ipsa quoque tali cognomine digna.

Depulsor Iuppiter CIL V 2473 (Ateste). II 2414 (Tarrac.). III 895 (Dacia): *I. O. M. Statori item Depulsori* 1679 (Moes. Sup.). 3269 (Pann. Inf.): *pro salute.* 4018 (Pann. Sup.). 4033. 4034: *pro salute.* 4111: *pro salute.* 4786 (Noricum): *Ioui Depulsori et Nymphis.* 5160. 5460. 5494: *pro salute.* VIII 2621 (Numidia): *Ioui Depulsori Genio Loci* 6043. Praeterea cf. XIV 2562 (ager Tusculan.) ... *Depuls* ... III 7961 (Dac.): *I. O. M. D(olicheno?).* 7997: *I. O. M. D(olicheno?).*

Depulsorius Iuppiter CIL XII 1288 (Gall. Narb.): *Ioui Depulsorio.* 1287: *I. O. [M.] Depulsorio.* 1067: *Ioui Dep[ul]sorio ... ex iussu.* 315?

Dianus Iuppiter CIL V 783 (Aquileiae): *Ioui Diano C. Herennius Candidus;* cf. Aust ap. Rosch. II 751, 3 seq. Birt ap. Rosch. I 1003, 49 seq. Sed haud scio an subsit eponymon.

Domestica Fortuna CIL XIV 6 (Ostiae): *Fortunae Domesticae sanctae ara pro salute et reditu L. Septimi Seueri Pertinacis.* III 1009 (Dacia): *Fort. Bonae Domestic(ae).* 1939 (Dalmat.). 4398 (Pann. Sup.). Cf. III 8169 (Moes. Sup.): *Fortunae Aeternae Domus Furianae.*

Domesticus Hercules CIL XIV 3542 (Tibure): *Herculi Domestico T. Aeli. Rubri superstitis.* Cf. X 3799 (Capuae): *Herculi Tutori domus Nouelliana.*

Domesticus Iuppiter CIRh 115: *I. O. M. Domestico.* CIL XII 2387 a (Gall. Narb.): *Ioui Dom. sacrum* (Hirschfeld adnotat: *genuinam esse non adfirmo*).

Domestici Lares CIL III 4160 (Pannon.): *Laribus Domest(icis) sacr(um).* Sed cf. Domesticus Siluanus, deus eiusdem regionis peregrinus, et maxime titulus CIL III 3491 *[Silua]no Domestico et Lar[ibus].* Quamquam ad Larum Domesticorum cultum urbanum probandum sufficere uidetur locus Hieronymianus (in Esai. 57 tom. 3 p. 418 Bened.) '*post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares.*

Domesticus Mercurius CIRh 1324: *Mercurium Domesticum C. Iulius Satto.*

Domesticus Silvanus. Hoc dei Romani cognomen non inuenitur nisi apud gromaticos (p. 302. 14 seq. Lach. u. *Agrestis*). Nam Siluanus ille, qui in titulis Illyricis passim occurrit (u. CIL III), manifesto peregrinus deus existimandus est. De interpretatione titulorum Narbonensium CIL XII 3131. 5381 parum constat, nam in priore legitur *S. D. S. D.*, in altero *Dom.* solui potest etiam *Dom(ino).*

Dominus Aesculapius CIL VI 17: *Aesculapio et Ygiae Dominis.* 18: *Domino Aesculapio et Hygiae.* III 1079 (Dacia): *I. O. M. Iunoni Mineruae et Aesculapio Domino.* VIII 1267 (Prou. Procons. a. 175—180 p. Ch.): *flamen templi Domini Aesculapi.*

Domina Bona Dea CIL VI 68 (u. *Agrestis*): *bineficio Dominaes medicinis sanatus.* Cf. XIV 74 (Ostiae): *aram fecit Dominae.*

Domina Hygia CIL VI 17 (u. *Dominus Aesculapius*).

Dominus Iuppiter CIL II 4442 (ager Tarrac.) *Ioui Domno ... pro salute.* Boletin de la Real Academia de la Historia Madrid 1893 p. 478 = Cagnat

1894 no. 10: *Ioui Domino.* Cf. CIL II 4501. Deus tituli urbani CIL VI 82 est Mithras.

DOMINVS MARS CIL II 3618 (Tarrac.): *L. Fabius Tropus Marti Domino u. s. l. m.*

" SILVANVS CIL VI 597: *libertus . . . imperio Domini Siluani . . . aram Siluano marmorauit item simulacrum Herculis restituit.* 607: *redemptor . . . aedic[u]l(am) et signum Herculis ex imperio domini Siluani . . . . fecit.* 621 (a. 210 p. Ch.): *Thallus agitator . . . Dominum Siluanum posuit item dedicauit.* IX 2164 (Caudii): *Sextus Pompeius Moderatus . . . pro salute sua et suorum uoluit* (sic!) *ara domino Siluano.*

DOMINA VENVS CIL II 1638 (Baetica): *Dominae Veneris aram posuit.* 1639: *Dominae Veneri uotum soluit d. d.* Praeterea cf. Prop. III 2, 31. Petron. 85. Apul. Metam. VIII 25. Auson. p. 410, 18 (P.).

DVX FORTVNA cf. *Redux.* In nummis Marci Aureli (Coh. 78, a. 176 p. Ch.) Commodi (Coh. 354, a. 186 p. Ch.). A. 214 p. Ch. fratres Aruales immolauerunt quod Caracalla *felicissime ad (h)iberna Nicomediae ingr[essus sit] . . . Fort(unae) Duci b(ouem)* (CIL VI p. 566). Praeterea CIL IX 2194 (Telesiae).

*ELICIVS IVPPITER. Iuppiter quem ueteres aquam orabant [Petron. 44], cui aquaelicia [cf. Paul. p. 2] immolabant [Tertull. Apol. 40], *Elicius* cognominatus est ut *eliciens* aquam pluuialem. Eius ara antiqua in Auentino (Varr. l. l. VI 94) stetit. Quae apud Liuium (I 20, 7. 31, 8) et Ouidium (F. III 285—348, cf. Arnob. V 1 Plut. Num. 15) leguntur, a Valerio Antiate ficta esse uidentur. Cf. Aust ap. Rosch. II 656, 54 seq.

EPVLO IVPPITER CIL VI 3696: *[magistri] quinq(ennales) [collegi] teib(icinum) Rom(anorum) qui [s(acris) p(ublicis) p(raesto) s(unt)] Iou(i) Ep(uloni) sac(rum).* Val. Max. II 1, 2: *Nam Iouis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerua in sellas ad cenam inuitabantur* (testimonia de Iouis epulo inuenies apud Austium in Roscheri lexico II 735, 1 seq.). Cf. *Mercurius Epulo Euphrosynus* CIL VI 522. Similia cognomina a negotiis humanis translata in deos sunt *Mercator, Negotiator, Nundinator, Arborator* al.

*EQVESTRIS FORTVNA. A. 574 = 180 ob uictoriam de Celtiberis *per equites* Romanos reportatam Q. Fuluius Flaccus Fortunae *Equestri* aedem uouit (Liu. XL 40, 10. 44, 9), quae a. 581 = 173 est dedicata (Liu. XLII 10, 5 cf. 3, 1. Val. Max. I 1, 20. Lact. II 7, 16). Eadem aedes ad annum 662 = 92 ab Iulio Obsequente (LIII) commemoratur, praeterea a Vitruuio, qui aetate Augusti scripsit, sed a. 22 p. Ch. '*delubra eius deae (Fortunae) multa in urbe, nullum tamen tali cognomento erat*' (Tacit. Ann. III 71.). Cf. Aust de aed. sacr. no. 63.

ERINIA VESVNA CIL IX 3808 = I 182 (Ortonae?): *V. A[t]iediu[s] Ve[s]une Erinie et Erine patre dono me[re] libs.* Cf. Mommsen, Unterital. Dial. p. 345 et supra p. 21.

EXAVDITOR IVPPITER CIL X 4553 (Trebulae): *[I]oui Op[t]imo Maximo Pientissimo Exauditori Resstitutori* III 10992? (Pann. Sup.). Cf. VIII 11269 (Prou. Byzac).

*FAMILIARIS LAR. In cultu Romano semper singulari numero (cf. Wissowa ap. Rosch. II 1876, 20 seq.). Passim apud scriptores inde a Plauto (u. Aulul. prolog.).

FAMILIARES LARES. Lares plurali forma, etsi Romae numquam uidentur in cultu dicti esse 'familiares', tamen Italicum cultum innuunt tituli nonnulli: CIL IX (Anxani, aetate liberae reipublicae): *Draco mag(ister) aediculam, sigilla ornamentaque omnia Lar. Fam. d(e) s(ua) p(ecunia) f(acienda) c(urauit)* eqs., ubi tamen incertum est utrum *Lar(ibus) Fam(iliaribus)* an *Lar(i) Fam(iliari)* an *Lar(i) Fam(iliae)* soluendum sit. 3424 (Peltuini): *Mag(istri) L. F. D. D.* [Mommsen, *L(udos) F(ecerunt) D(ecr.) D(ecur.)*]. X 773 (Stabiis): *Larib. et Famil. D. D.* Praeterea cf. pondera Pompeiana (CIL X 8067, 12. 8068, 3, 4) inscripta *L. Fam. D. D.* uel *L. et F. D. D.*

FAMILIARES PENATES CIL IX 4776 (Forum Nouum a. 76 p. Ch.): *Deis Penatibus Familiaribus M. Fuluius M. f. Gillo cos. fecit.* Titul. urban. apud Orellium 2118 (in CIL VI deessə uidetur): *Diis deabus Penatibus Familiaribus et Ioui ceterisue diibus.*

*FARREVS IVPPITER Gaius I 112: *farreo in manum conueniunt per quoddam genus sacrificii, quod Ioui Farreo fit: in quo farreus panis adhibetur, unde etiam confarreatio dicitur* (cf. Studemund, Verhandl. der Würzburger Philologenversammlung 1869 p. 125.). Dubitant uiri docti utrum *farreo* i. e. *farreo libo* (Studemund l. c. Marquardt Staatsverw. III^2 p. 304, 10), an *Farreo, Iouis cognomen* (Iordan ap. Prellerum I 197. 2. Aust ap. Rosch. II 666, 6 seq.) intellegendum sit. Sed sicut Iuppiter cui daps dabatur, *Dapalis*, et Iuppiter cui epulum, *Epulo* est nuncupatus, ita fieri potest ut Iuppiter *Farrei* cognomen sortitus sit.

FAVSTA FELICITAS Fast. Amit. ad VII id. Oct. = Oct. 9 *Genio Public(o) Faustae Felicitati Vener(i) Victr(ici) in Capitol(io)*, cf. Fast. Aru. Aedem (an sacellum?) eandem esse atque aedem a. 710 = 44 [Dio Cass. XLIV 5] a Caesare dedicatam (cf. Aust de aed. sacr. no. 84) putat Mommsen (CIL I^2 p. 331) coniectura incertiore (cf. Iordan Top. I 2, 46. Gilbert Top. III 107). Cognominis grauitas inde intellegi potest quod '*Alma Faustitas*' (Horat. C. IV 5, 18) eadem esse putabatur ac *Felicitas* (cf. Pseudo-Acro ad Horat. l. c.), i. e. sicut *Venus Victrix = Victoria,* ita *Felicitas Fausta = Faustitas.*

FEBRVA u. *Februalis.*

*FEBRVALIS IVNO (*Februalis* habent Paulus p. 85, Martianus Capella II 149, Lydus de mens. IV 20, praeterea *Februata* Paulus et Lydus; *Februlis* occurrit apud Paulum et Martianum Capellam (cf. Lydus); Arnobius III 30 *Februtis* legisse uidetur) *Februalis* i. e. ad *februa* (u. infra) pertinens (cf. Iuppiter *Dap|alis*) et *Februata* i. e. februa habens, dea cuius sub tutela februa sunt (cf. Fortuna *Barb|ata*), formae antiquissimae sunt. Ex quibus per brachylogiam *Februlis* (et fortasse *Februtis*) exstiterunt. Forma *Februa* autem (cf. *Februus* deus Macr. S. I 13, 3. Seru. Georg. I 43) fortasse a grammaticis est ficta. Cf. praecipue Paul. 85 *Februarius dictus . . . a Iunone Februata . . . quod ipsi eo mense sacra fiebant eiusque feriae erant lupercalia quo die mulieres februantur a lupercis amiculo Iunonis, id est pelle caprina . . . Quaecunque . . . purgamenti causa . . . adhibentur, februa appellantur.*

*FEBRVATA IVNO u. *Februalis.*

*FEBRVLIS IVNO u. *Februalis.*

*FEBRVTIS IVNO u. *Februalis.*

FELIX BONA DEA CIL VI 68 u. *Agrestis.* Notandum est titulum propter salutem recuperatam esse positum, ut non necesse sit significari cognomine fecunditatem.

FELIX FORTVNA non memoratur nisi in nummis Commodi (Coh. 351. 352. 519—521), Iuliae Domnae (29—32), Iuliae Paulae (7), sed haud scio an cognomen fuerit. Cf. CIL XIV 2588 (inter Tuscul. et montem Alban.): *s(anctae) d(eae) Fort(unae) Felicit(ati) d. d.* Augustin. c. d. IV 18.

FELIX MERCVRIVS. Tituli adhuc desunt, sed deus ita appellatur in '*parua Mercurii pictura*' (CIL IV 812) et '*in uaso ornato*' (CIL XII 5687, 10, u. *Negotiator*), in Postumi nummo (Coh. 88).

FELIX ROMA Dio Cass. LXXII 15 Τὴν δὲ Ῥώμην . . . εὐτυχῆ . . . . ἐπωνόμαςεν (Commodus). In nummis Hadriani (Coh. 464—467), Theodosii (61, 62), Honorii (57).

FELIX SILVANVS CIL VI 643: *[Silu]ano Felici.* V 3302 (Veronae): *Siluano Fel(ici) P. Falerius Trophimus uenator.*

FELIX VENVS i. e. Venus Sullana, cf. p. 25 et Wissowa de Veneris simulacr. p. 15—21. Veterem deam Campanorum fuisse opinatur L. Preller (I 448) non recte. In titulis: CIL VI 781. 782. 8710 XIV. 2793 (Gabiis a. 169 p. Ch.): *Veneri Verae Felici Gabinae.* IX 3429 (Peltuini a. 242 p. Ch.). X 4570 (Caiatiae). CIRh. 1408: *I. O. M. Heliopolitano, Veneri Felici, Mercurio Augusto.* In nummis maxime Augustarum ab Hadriano usque ad Faustum. Cf. Verg. A. I 330.

FERETRIVS IVPPITER (Mon. Ancyr. X 9 Ζεὺς Τροπαιοφόρος. Dionys. Hal. II 34 Ζεὺς Τροπαιοῦχος . . . cκυλοφόρος . . . ὑπερφερέτης). Feretrius a (fulmine) *feriendo* (cf. Osthoff apud Domaszewski, Relig. d. röm. Heeres p. 120). Veteres uel a *feriendo* (Prop. IV 10, 46. Plut. Rom. 16. Marc. 8) uel a *ferendo*

(Paul. p. 92) uel a *feretro* (Plut. Marc. 8; cf. Liu. I 10, 5) deriuauerunt. Testimonia de aede Capitolina quam ad Romulum rettulerunt, et de spoliis opimis Feretrio dedicatis exscripta sunt apud Austium in Rosch. lex. II 670, 67 seq. De aede a. 723 = 31 ab Augusto aedificata (Mon. Ancyr. IV 5) cf. Mommsen (Res gestae p. 81) et Domaszewski, Relig. d. röm. Heeres p. 120).

FISICA MEFITIS CIL X 203 (Grumenti): ***Mefiti Fisicae***, cf. Iordan apud Prellerum I 448, 3.

FISICA VENVS CIL X 928 (Pompeiis): ***Imperio Veneris Fisicae Ioui O. M.*** IV 1520. *Scripsit Venus Fisica Pompeiana* (sequitur carmen epigraphicum Buech. 354). X 928 in nota: ***[Venere]m Fisicam te rogo ni m[e] [obliuiscar]is*** eqs. Iordan ap. Prell. I 448, 3 uerbum originis Oscae esse existimat.

FORTISSIMA FORTVNA CIL III 10992 (Pann. Sup.): ***[I]. O. M. E[xau]dito[ri] et F[o]rtunae Fortissima[e].***

FRVGIFERA CERES. Epitheton Graecanicum potius (cf. Δημήτρ καρποφόρος, εὔκαρπος, πολύκαρπος Prell. Rob. I 766) quam cognomen; frequens in imperatorum nummis Pescennii Nigri (Coh. 8. 9), Septimi Seueri (47. 48), Iuliae Domnae (11). Cf. CIL XI 3197 (Nepete): ***Cereri Frugif[erae] sacr[um].***

FRVGIFER IVPPITER CIL XII 336 (Gall. Narb.): ***Ioui Frugifero.*** Apuleius in Iouis cognominum catalogo (de mundo 37). Cf. Iuppiter *Almus* (Augustin. c. d. VII 11), ubi mea quidem sententia epitheton intellegendum uidetur.

FRVGIFER LIBER CIL VIII 15520 (Prou. Procons.): ***pro salute imp(eratoris) Caesaris Traiani Hadriani . . . templa Concordiae Frugiferi Liberi Patr[i] . . . struxerunt.***

*FRVTIS VENVS non memoratur nisi apud Paulum (p. 90 ***Frutinal templum Veneris Fruti***) et Solinum (II 14 ex Cassio Hemina = frg. 7 Peter *Simulacrum quod secum ex Sicilia aduexerat [Aeneas] dedicat Veneri Matri quae Frutis dicitur*). De uocis significatione adhuc sub iudice lis est. Cf. Iordan apud Prellerum I 436, 4.

FVLGVR IVPPITER Fest. p. 229: ***Prouorsum fulgur appellatur quod ignoratur noctu an interdiu sit factum itaque Ioui Fulguri et Summano fit, quod diurna Iouis, nocturna Summani fulgura habentur*** (cf. Seru. A. X 423 et *dium fulgur* apud Paulum p. 75). Aedes eius Romae fuisse uidetur in campo, ubi non. Oct. = Oct. 7 sacra fiebant (Fast. Aru. Paul.). De aedis forma cf. Vitruuius I 2. 5. Cognomen ex uetustissimis est significans deum eundem atque fulgur. Cf. Wissowa, Röm. Götterbilder, Neue Jahrb. (Ilberg-Richter) I 1898 p. 164: *„der Römer verehrt Iuppiter Fulgur, nicht den Blitzschleuderer, sondern den Blitz selbst.“* Ad '***fulgur conditum***' cf. tituli Gallici CIL XII 1047. 2769. 2888. 2970. 3023. 3048. 3049. 4100.

FVLGVRALIS IVPPITER CIL III 1086 (Dac. a. 224 p. Ch.): ***I. O. M. Diuo Fulgurali sacrum.*** Cf. 821 (Dac.): ***Ioui Fulg. . . . pro salute.*** 1677 (Moes. Sup.): ***I. O. F. M. Capitolino.*** 6342 (Dalmatia): ***I. O. M. F.*** VIII 2626 (Numid.): ***I. O. F. M.***, ubi fortasse potius ***Fulgurali*** quam ***Fulguratori*** soluendum est.

FVLGVRATOR IVPPITER (*Fulgerator* CIL VI 377) CIL VI 377: ***aram Ioui Fulgeratoris.*** In nummis Claudi II (Coh. 98), Diocletiani (60. 255. 256), Maxim. Herculis (69. 311—313). Praeterea apud Apuleium, de mundo 37. Cf. *Fulguralis, Fulminator Fulgurator.*

FVLGVR FVLMEN IVPPITER CIL XII 1807 (Gall. Narb.): ***Ioui Fulguri Fulmini.***

FVLMINALIS IVPPITER CIL V 2474 (Ateste): ***Ioui sacr(um) Fulminari.***

FVLMINATOR FVLGVRATOR IVPPITER CIL III 3953 (Pann. Sup.): ***I. O. M. Fulm(inatori?) Ful(guratori?).*** Cf. 395 ***I. O. M. F. F. S.*** et Apuleius de mundo 37.

GENETRIX VENVS (Appian. b. c. II 102, CIL III 7157 Γενετείρα). Aedes in foro Caesaris *Victrici* Veneri (q. u.) uota *Genetrici* a. 708 = 46 (Dio Cass. XLIII 22, 2: ὡς ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης. Appian. l. c. Plin. N. H. XXXV 156) Sept. 26 (Fast. Pinc. Aru. cf. Fast. Vall.) est dedicata. Cf. Aust de aed. sacr. no. 83. In titulis: CIL XIV 2903 (Praeneste): ***Veneri Genetrici Fortun[ae] R[educi?].*** XI 3805 (Veiis), IX 1553 (Beneuenti), 2199 (Telesiae), II 3270 (Tarrac.), III 7157 (Lesbi). In nummis maxime Augustarum ab Hadriano usque ad Magniam Vrbicam.

*GENITA MANA u. p. 18.

GRADIVVS MARS cf. supra p. 16. Passim apud scriptores maxime poetas. In titulis: CIL XIV 2580 (Tusculi), 2581 (sed cf. Dessauii nota), V 8236 (Aquileiae): *Marti Gradiu[o] I. Arius Celadus sacrum restituit*, III 6279 (Dacia), 7854 = 1619, VIII 17625 (Numidia cf. 2581 in carmine = Buechel. 1527 a.

*GRVNDVLES LARES (*Grundulii* Arnob. I 28). Cognomen quid significet obscurum est. Veteres a grunniendo deriuauerunt, unde orta est Cassii Heminae fabula (apud Diomed. I 384 = frg. 11 Peter, cf. Nonius p. 114). Noli autem uocem per Fulgentii '*suggrundaria*' explicare.

*HOSTILII LARES Paul. p. 102: ***Hostiliis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.*** Certiore cognominis notitia destituimur. Quod C. O. Muellerus (ap. Paul. l. c.) proponit '*fortasse cum fabulis de Hosto Hostilio coniuncti erant*' iusto fundamento caret.

HVIVSCE DIEI FORTVNA (Plut. Mar. XXVI Τύχη ἡμέρας ἐκείνης; apud scriptores 'Huis*ce* Diei', in Bas. Capit. et fastis 'Huius*que* Diei'). Fortunam Huiusce Diei circa a. 586 = 168 aedem uel accepisse uel iam habuisse apparet ex Plinio XXXV 54: *Mineruam quam Romae Paulus Aemilius* [scilicet ille qui a. 586 = 168 Pydnae uicit] *ad aedem Fortunae Huiusce Diei dicauit.* A. 652 = 102 Q. Lutatius Catulus Cimbros debellaturus εὔξατο . . . ἀνασχὼν τὰς χεῖρας καθιερώσειν τὴν τύχην ἡμέρας ἐκείνης (Plut. l. c. cf. Plin. l. c. et XXXIV 60). Catuli templum ubi situm fuerit ignoratur (in Palatio, Aust de aed. sacr. no. 65). Vicus Fortunae Huiusque Diei (Bas. Capit. reg. X) in Palatio ex aede uel simulacro nomen traxit. Praeterea aedem in Campo fuisse constat (cf. Fast. Allif. Pinc. ad Iul. 30 *quo die* Catulus Cimbros uicerat; Plut. l. c.). Cognomen memorat Cicero de leg. II 28.

IMPERATOR IVPPITER Liu. VI 29, 8 (a. 374 = 380): *T. Quinctius . . . uictor . . . triumphansque signum Praeneste deuectum Iouis Imperatoris in Capitolium tulit.* CIL XI 3078 = Buecheler 2 (Faleriis post a. 513 = 241): ***Iouei Iunonei, Mineruai . . . imperatoribus summeis.*** Cognomen alibi non inuenitur, nam apud Plaut. Amph. 1120 epitheton Graecanicum est, apud Cic. Verr. IV 128. 129 = Ζεὺς οὔριος (cf. Aust apud Rosch. II 643). Austius (l. c.) putat hunc deum fortasse originis Etruscae Imperatoris cognomen a Latinis accepisse. Cf. *Impetrator.*

IMPETRABILIS HERCULES CIL V 5769 (Mediolani): ***Herculi Inuicto Inpetrab[ili] . . . aram constituit.*** 5768: ***Herculi Inpetra(bili) sacr(um).***

IMPETRATOR IVPPITER. Notiz. degli Scavi 1895 p. 44 (Romae): ***Ioui Impetratori a. l. c.*** Cf. *Impetrabilis Hercules.* Fortasse lapicidae mendum est pro '*imperatori*'.

*INDIGES IVPPITER uix cognomen est sed potius epitheton Ioui Lauinatium deo (Liu. I 2, 6. Plin. N. H. III 56), quem postea Aeneam declarauerunt (Liu. l. c. Ouid. Metam. XIV 608 cf. Seru. A. I 259), attributum ad distinguendum illum tanquam Δία πατρῷον ab externis dis. Cf. maxime Wissowa De dis Rom. Indiget p. VI.

INDIGES SOL. Fast. Amit. Allif. ad V id. Aug. = Aug. 9: ***Soli Indigiti in colle Quirinale.*** Fast. Vall. ad VI id. Aug.: ***Sol(is) Indigitis in colle Quirinale sacrificium publicum.*** Wissowa (de dis Rom. indiget. p. VI) iure adnotat: *Sol deus . . . Augusti aetate indigetis cognomen accepit ut probe dinosceretur ab externis dis solaribus.*

INPETRABILIS u. *Impetrabilis.*

*INVVS FAVNVS. Cf. supra p. 16. Seru. A. VI 775: *Inuus . . . graece* Πάν *. . . ab ineundo passim cum omnibus animalibus.* Liu. I 5, 2: *Pan . . . . quem Romani deinde uocauerunt Inuum.* Macrob. S. I 22, 2 seq. Praeterea *castrum Inui* memorant Vergilius A. VI 775 (cf. Seruius ad loc.) et Rutilius Namatianus I 232.

*INVENTOR IVPPITER (= Ζεὺς Εὑρέσιος Dionys. Hal. I 39) aram perueterem sub Auentino (de orig. gent. Rom. c. 6) prope portam Trigeminam (Solin. I 7. Dionys. Hal. I 39) habuit, quam, ut putabant, *Hercules* uotam *si amissas boues repperisset, punito Caco, patri Inuentori dicauit* (Solin. l. c., cf. Dionys.

Hal. l. c. Ouid. F. I 579). Cognomen autem fabula antiquius uidetur esse. Similiter Hercules Tiburtinus Ioui *Praestiti* (q. u.) aram Tibure dicauisse putabatur.

Invicta Diana CIL XIV 2495 a (ager Tuscul.): *Volumni duo Verus et Seuerus Dianae Inuictae d. d.* Praeterea III 7670 (Dacia), 7445 (Moes. Inf.) sed cf. p. 32.

Invictvs Hercvles cf. *Victor.* Herculem Tiburtinum Romam translatum ad aram Maximam cultum proprie *Inuictum* (non *Victorem*) nominatum esse indicant cum tituli prope aram Maximam apud scholam Graecam effossi (CIL VI 312—319 ex quibus unus tantum, 319, uersibus scriptus *Victorem* habet) tum auctores optimi (e. g. Varro apud Macrobium S. III 12, 6 certa Mommseni coniectura). Hercules Inuictus Romae duas aedes habuit, unam ad circum Maximum (Fast. Allif. Amit. ad Aug. 12) a Pompeio [Plin. N. H. XXXIV 57] refectam (sed non conditam, cf. Vitruu. III 3, 5 et Wissowa l. infra c. p. 10), cuius dies natalicius Aug. 12 erat (Fast. Allif. Amit.; de fastorum Vallensium errore u. Magnus Custos), alteram ad Portam Trigeminam, consecratam die Aug. 12 (Fast. Allif.). In titulis: CIL VI 224. 226. 227. 312—318. 320—329. 3688. XIV 3545 = VI 326 (Tibure). 3548. 2455 (Castrimoeni). X 1478 (Neapoli). 5385 (Aquini). IX 1046 (ager Compsan.). V 5593 (Ager Mediolan.). 5606. 5645. 5724. 5759. XII 4316 (Gall. Narb.). II 1568 (Baetic.). 1660. VII 924 (Brit.). 986. III 877 (Dac.). 878. 1028. 1029. 1292. 1340. 1394. 1569—1571. 4272 (Pann. Sup.). 4726 (Noric.). 7424 (Moes. Inf.). 8082 (Moes. Sup.). VIII 14682 (Prou. Procons.). In nummis Postumi (Coh. 55—58. 238), Diocletiani (201), Maximiani Herc. (46—47), Carausii (102). Cf. Wissowa, Analecta Romana Topographica p. 11 seq.

Invictvs Ivppiter. Iuppiter qui temporibus antiquissimis *Victor* appellatus est, etiam *Inuicti* cognomen meruit, sed raro et maxime apud poetas (semel in nummo Septimi Seueri Coh. 144) occurrit. Cic. de leg. II 28: *Statoris et Inuicti Iouis.* Ouid. F. VI 650 (cf. V 126): *idibus Inuicto sunt data templa Ioui* (cf. Aust de aed. sacr. 21). Augustin. c. d. VII 11. Horat. C. III 27, 73.

Invictvs Mars Fast. Venus. prid. id. Mai = Mai 14 *Marti Inuict(o).* In titulis: CIL IX 2198 (Telesiae). II 2990 (Tarrac.). III 2803 (Dalmat.). In nummis Pescennii Nigri (Coh. 31) et Aureliani (119—122).

Invictvs Mercvrivs CIL IX 425 (Venusiae): *Mercur[io] Inuic[to] sacr(um) pro salute* eqs. X 6219 (Fundis): *L. Aurelius A[p]olaustus pantomimus . . . uotum soluit.*

Invicta Roma Eph. III p. 306 (Romae): *Inuicta Roma, Felix Carthago.* In nummis Alexandri Tyranni (Coh. 1—3. 7).

Invictvs Silvanvs CIL VII 451 (Brit.): *Siluano Inuicto . . . ob aprum exiguae formae captum.*

Iovivs Hercvles CIL IX 3414 (Peltuini): *Herclo Iouio.* Notiz. degli Scavi 1880 p. 479 (Romae): *Herculi Iouio sacrum C. Voltilius Alexander fec.* Cf. CIL VI 291: *sacrum Iouis Herculi uoto M. Vlpius Aug. lib. Fortunatus d. d.*

Iovia Venvs CIL X 3776 = I 565 (Capuae a. 646 = 108) . . . *heisce magistreis Venerus Iouiae muru aedificandum coirauerunt . . . et loidos fecerunt.*

*Ivnonivs Ianvs Macrob. S. I 15, 19 (cf. I 9, 16): *Ianum Iunonium cognominatum diximus quod illi deo omnis ingressus, huic deae cuncti Kalendarum dies uidentur adscripti.* Sed cognomen multo facilius explicari potest. Neque enim Ianus Iunonius diuersus est a Tigillo Sororio, illo scilicet iano ubi ara Iunonis Sororiae erat (cf. *Ianus bifrons, quadrifrons* al.). Cum Labeonis explicatione (apud Lydum de mens. IV 1): Ἰανὸν Ἰουνόνιον, τουτέστιν ἀέριον conferatur Macrob. S. I 15, 20 '*Iuno autem aeris arbitra est*'. Seruii Interpolator (A. VII 610) nihil iuuat.

Ivtor Ivppiter CIL IX 5531 (Vrbisagliae in tegula; picti sunt Iuppiter, Minerua, Victoria): *Ioue* (sic) *Iutori.*

Ivventvs Ivppiter Romae non occurrit. CIL XI 3245 (Sutri) *Ioui Iuuentuti sacrum Cn. Domitius Afri libert(us)* IX 5574 (septempedae). Iouem autem Iuuenem in Commodi nummis (Coh. 370. 371) ad imperatorem non ad deum spectare monuit Overbeck (Griech. Kunstmythologie II p. 201 seq.).

*Kalendaris Ivno Macrob. S. I 15, 18: *Laurentes . . . cognomen deae ex caerimoniis addiderunt Kalendarem Iunonem uocantes.* Cognomen praeterea ignotum neque constat Iunonem eo cognomine Romae cultam esse. Kalendas autem Iunoni sacras fuisse adfirmant Ouidius (F. I 55), Macrobius (l. c.), Plutarchus Q. R. 77), Lydus (de mens. III 7). Cf. *Couella.*

Lanarivs? Mercvrivs CIL X 5678 (Arpini): . . . *sacrum [pa]tri Mercurio Lan[ario?].* Cf. Tertull. de pall. 3.

Liber Ivppiter cf. supra p. 11. Fast. Aru. ad kal. Sept.: *Ioui Libero, Iunoni Reginae in Auentino.* CIL IX 3513 = I 603 (Furfone). X 3786 (Capuae a. 15 p. Ch.): *Ioui Liber(o).* Zvetaieff Syllog. inscript. Osc. no. 3 (in Frentanorum agro). Iordan, Ind. Lect. Regimont. 1886 p. 3 (ager Sabin.). Cf. Wissowa apud Roscherum II 2022. 24 seq.

Liberator Ivppiter (= Ζεὺς Ἐλευθέριος Dio Cass. LXII 26. 4), cui et Seneca (Tacit. Ann. XV 64) et Thrasea (Tacit. Ann. XVI 35, cf. Dio Cass. l. c.) morituri libationem fecerunt, idem fuisse atque Ζεὺς Σωτήρ (cf. Prell. Rob. I 151) uidetur. Redit cognomen in nummis Neronis (Coh. 17) et Galbae (257). [Iuppiter *Soter* apud Seruium A. VIII 652 coniectura Danielis ortus est, u. *Tutor*]. Cf. praeterea Fasti Philocali ad Oct. 13—18: *Ludi Ioui Liberatori* et CIL V 6963 (Taurini): *deo . . . Liberatori.*

Libertas Ivppiter (= Ζεὺς Ἐλευθέριος Mon. Ancyr. X 11) Mon. Ancyr. IV 6. 7. *Aedes . . . Iouis Libertatis in Auentino.* CIL XIV 2579 = I 1124 (Tusculi): *[I]oui Liberta[ti] sacrum.* XI 657 (Fauentiae): *Curatores Ioui Libertati.* Cf. supra p. 12.

*Locvtivs u. *Aius Locutius.*

*Lvcetivs Ivppiter cf. supra p. 15. In carminis Saliaris fragmento apud Terentium Scaurum G. L. VII p. 28 K. = frg. 6. Maurenbrecher: '*quome tonas Leucesie*' (cf. Marius Victor G. L. VI p. 12 K.). Paul. p. 114: *Lucetium Iouem appellabant quod eum lucis esse causam credebant.* Gell. V 12, 6: *dictus est et Lucetius quod nos die et luce quasi uita ipsa afficeret et iuuaret.* Macrob. S. I 15, 14: *Nam cum Iouem accipiamus lucis auctorem unde et Lucetium Salii in carminibus canunt.* Seru. A. IX 567: *dictus a luce quam praestare hominibus dicitur.* Quae omnia fluxisse uidentur ex commentariis quibus L. Aelius Stilo carmen Saliare illustrare conatus est. Praeterea cf. Gloss. Labb.: *Lucerius* = Ζεύς.

Lvcifera Bona Dea CIL VI 73: *Bon(ae) Deae Luciferae Antistia Veteris lib. Eur. d. d.* Fortasse ob lumina restituta hoc cognomine praedita est.

Lvcifera Diana CIL V 7355 (Clastidii) 3224. (Veronae): *Dianae Lucif(erae),* in latere: *Lunae.* Saepissime in nummis maxime Augustarum a Faustina Minore usque ad Quintillum. Cf. Ἄρτεμις φωσφόρος Prell. Rob. I 212. 2.

Lvcifera Lvna CIL III 1097 (Dac.). XII 997 (Gall. Narb.), ubi Hirschfeldus adnotat '*titulum sincerum esse non praestiterim*'. In nummis Iuliae Domnae (Coh. 54—56, 166, 167) et Gallieni (344—346). Cf. CIL V 3224, u. Lucifera Diana.

Lvcina Ivno (Plut. Q. R. 77: Λουκίναν, οἷον φωτεινὴν ἢ φωτίζουσαν. Dionys. Hal. IV 15 Ἥρα φωσφόρος). Aedes in Esquiliis condita a. 379 = 375. kal. Mart. (Plin. N. H. XVI 235. Fast. Praen. Reliqua testimonia apud Austium de aed. sacr. no. 12). Apud scriptores passim. In titulis: CIL VI 3694 = I 189. VI 357 = I 813. VI 358—361. 3695. X 6484 = I 189 (Vlubris). X 3807 = I 1200 (Capuae). X 4660 (Calibus). In nummis Faustinae Minoris (Coh. 47—50), Lucillae (61—63), Crispinae (33), Iuliae Domnae (160—162), Otaciliae (11).

Magna Fortvna CIL III 1018 (Dac.): *Genio loc(i) et For(tunae) Magnae Q. Appianus Maternus pro se et M. Vetio Bellator[e] ex u(oto).*

Magnvs Hercvles CIL VI 335 = I 1538 *[Her]colei magno.* Cf. III 3651 (Pann. Inf.): *Herculi M(agno?) D(eo?) sac(rum).* Hor. C. IV 5, 36.

Magni Lares CIL XII 4320 (Gall. Narb.): *Laribus Magnis et Viator[iis].*

Magnvs Liber CIL VI 467 (u. *Adstator*). III 3093? (Dalmat.).

" Mercvrivs CIL III 79 (Aegypt. a. 109 p. Ch.): *Deo Magno Mercurio adorauit uexillus.*

Magnvs Silvanvs CIL XIV 2894 (Praeneste): *Deo Magno Siluano, Marti, Herculi.*

Magnvs Cvstos Hercvles aedem ad circum Flaminium (Ouid. F. VI 209. Fast. Vall. ad Aug. 12, u. infra) iam a. 536 = 218 [cf. Liuius XXI 62, 9 et Wissowa, Anal. Rom. Top. p. 12, 13] habuit, quae a Sulla (Ouid. l. c.) instaurata [cf. Wissowa l. c.] inter a. 672 = 82 et 675 = 79 Iun. 4 dedicata est (Fast. Venus. Ouid. l. c.; fastorum Vallensium lapicidam ad Aug. 12 Herculem circi Flaminii cum deo circi Maximi confudisse recte obseruauit Merkelius, Proleg. p. CXXXV, cui et Mommsenus CIL I^2 p. 374 et Wissowa, Anal. Rom. Top. p. 12, 9 adsensi sunt, Austio contradicente, de aed. sacr. no. 78, qui aedis ab Augusto refectae hunc diem nouum natalicium fuisse statuit).

*Mala Fortvna iam a Plauto memorata (Rud. 501: *Malam Fortunam in aedis te adduxi meas*) aram uetustam in Esquiliis habuit (Cic. de nat. deor. III 63, cf. II 28; ab eo Plinius N. H. II 16). Quae Fortuna mala auertens fortasse eadem erat atque Τύχη ἀποτρόπαιος (= *Auerrunca?*), de qua Plutarchus (Q. R. 74) uerba facit.

*Mana u. *Genita Mana.*

*Martea Here cf. supra p. 21. Paul. p. 100: *Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant, quae a nomine appellabatur heredum, et esse una ex Martis comitibus putabatur.* Cf. Gell. N. A. XIII 23, 18.

Maxima Diana CIL II 3820 (Tarrac.): *Dianae Maximae, uaccam ouem albam porcam.*

Maximvs Ivppiter u. *Optimus Maximus.*

Maxima Mater Magna u. *Optima Maxima.*

Medicinalis Apollo CIL VI 39: (u. *Salutaris*).

*Medicvs Apollo Liu. XL 51 a. 575 = 179: *aedem Apollinis Medici.* Cognomen autem iam a. 321 = 433 extitisse inde probabile est, quod huius aedes non alia erat atque *Apollinis* aedes ad theatrum Marcelli a. 321 = 433 uota [Liu. IV 25, 3. Aust de aed. sacr. no. 8] *pro ualetudine populi* (cf. Ascon. p. 81 K. et Sch. *ea enim sola tum demum Romae Apollinis aedes).* Cf. praeterea Macrob. S. I 17, 15: *uirgines Vestales ita indigitant Apollo Medice, Apollo Paean.* Augustin. c. d. IV 21: *propter agros medicus uel Apollo uel Aesculapius.*

Medica Minerva [cf. Cic. de diu. II 123 *sine medico medicinam dabit Minerua*] iam liberae reipublicae aetate Romae aedem in Esquilino habuit (Notit. Reg. V, cf. CIL VI 10133 Huelsen Ind. Topogr. p. 86). Extra Romam praecipue in sacrario prope Travi *Minerua Medica Cabardiacensis* (CIL XI 1306 cf. *Memor*) colebatur. Cf. Ἀθηνᾶ Ὑγίεια, Παιωνία Prell. Rob. I 218.

Memor Fortvna CIL VI 190: *Fortunae Memori u. s. l. m.*

„ Minerva uel *Minerua Medica Cabardiacensis* (u. *Medica*) in sacrario prope Traui colebatur, CIL XI 1297. 1305. 1309. cf. 1293. 1296. 1299. 1300? 1302. 1303. 1304. 1307. 1308 ubi *M. M.* litterae *M(ineruae) M(emori)* significant.

Mercator Mercvrivs CIRh 1668; cf. Preuner apud Bursianum, Jahresberichte XXV p. 460.

Militares Lares. Iis a. 213 p. Ch. *ob salute(m) uictoriamque Germanicam im(peratoris) Caes(aris) M. Aurelli Antonini* fratres Aruales taurum album sacrificauerunt (Henzen Acta fr. Arual. p. 86 = CIL VI 2086). Praeterea nisi in titulis prouincialibus CIL III 3460. 3463 (Pann. Inf.) cognomen non inuenitur (sed cf. *Lar Militaris* p. 27). Lares autem qui cum Quirino Bellonaque in carmine precationis (Liu. VIII 9, 6), quo a. 414 = 340 Publius Decius se deuouit, memorantur, eosdem Lares Militares esse bene proposuit Wissowa (de dis Rom. indiget. p. VIII); quorum cognomen antiquum in fratrum Arualium cultu est conseruatum. Cf. praeterea Wissowa apud Roscherum II 1870, 55 seq.

Militaris Mars CIRh 467 (a. 295 p. Ch.): *In h(onorem) d. d. pro salute impp. tem[plum] Marti(s) Militaris . . . . resti[tuit].* CIL VII 390 (Brit.) 391. Cf. CIL VIII 2634 (Numidia): *Deo Marti militiae potenti.*

*Militaris Venvs Arnob. IV 7: *Etiamne Militaris Venus castrensibus flagitiis praesidet et puerorum stupris?* Seru. A. I 720: *est et Militaris Venus.*

Mitis Volcanvs CIL V 4295 (u. *Mulciber*).

Moneta Apollo? In Commodi nummis (Coh. 459–461). Cf. Drexler in Roscheri lexico II 3201, 47 seq. Equidem putauerim merum epitheton esse.

Moneta Ivno cuius aedes in Capitolio a. 410 = 344 a L. Furio Camillo dedicata est (Liu. VII 28, 6, cf. Aust de aed. sacr. no. 14; locos ad hanc aedem pertinentes inuenies apud Roscherum in lexico II 592, 57 seq.). Alterum templum in monte Albano uidetur habuisse a. 581 = 173 uotum (Liu. XLII 7 XLV 15? cod. *adem mō et albano*). In titulo urbano CIL VI 362 *Iunoni Monetae Reginae.* In nummis gentis Carisiae (Babelon 1 p. 314 9.) De etymo parum constat (de ueterum opinionibus cf. testimonia apud Iordanum Top. II 109), sed fortasse cohaeret cum *monendo.* Roscherus (in lexico II 593, 60 seq.) cur comparet 'μνηστή' non uideo. Postremo Valerius Maximus (I 83) et Lactantius (II 7, 11) Iunonem Reginam Veientem *Monetam* nuncupant fabulam referentes de dea '*uociferante*'.

Monitor Ivppiter CIL III 1032 (Dacia): *Ioui Monitori Conseruatorique . . . . . somno monitus.* 3228 (Pann. Inf.): *[Io]ui Monitori [p]ro salute adque incolumitate . . . . [somno mon?]itus.*

*Morta u. *Parca Morta.*

Mvlciber Volcanvs. Cf. supra p. 16. Paul. p. 144: *Mulciber Vulcanus a molliendo scilicet ferro dictus.* Seru. A. VIII 724: *Mulciber Vulcanus, ab eo quod totum ignis permulcet* (addit interpolator: *aut quod ipse mulcatus pedes sit, sicut quibusdam uidetur: aut quod igni mulceatur*). Macrob. S. VI 5, 2: *Mulciber est Volcanus, quod ignis sit et omnia mulceat ac domet.* Donat. ad Terent. Andr. I 2, 10: *Mulciber a mulctando quasi Mulctiber,* cf. ad Terent. Hec. I 1. 8. Cf. *(Volcanus) Mulcifer* Mart. Cap. I 17. VI 576. Postremo in titulo CIL V 4295 (Brixiae) *Volk. Miti siue Mulcibero.*

*Mvlcifer Volcanvs u. *Mulciber.*

Mvliebris Fortvna (Plut. de fort. Rom. 5, 10. Marc. 37 γυναικεία Τύχη. Dionys. Hal. VIII 55 Τύχη γυναικῶν). *Mulierum* intercessione pace composita inter Romanos et Volscos (a. 266 = 488) Fortunae *Muliebri* ara constituta annoque 268 = 486 uia Latina dedicata est cum duobus deae simulacris (Dionys. Hal. Plut. l. c. Liu. II 40, 12), quorum propter prodigium (praeter locos cit. cf. Val. Max. I 8, 4. Augustin. c. d. IV 19. Lact. II 7, 11) nisi a muliebris uniuiris nefas erat attingi (Fest. p. 242. Seru. A IV 19. Tertull. de monogam. 17). Praeterea in Faustinae Minoris nummo (Coh. 38).

Mvsarvm Hercvles (Interp. Seru. A. I 8 parum accurate *Aedes Herculis et Musarum,* Plut. Q. R. 59 κοινὸς βωμὸς Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν. Praeterea Ἡρακλῆς Μοσῶν legitur in uasculis Arretinis figuris exornatis, cf. Dragendorff Bonner Jahrb. 96/97 p. 70 et Ihm ibid. 102 p. 115). Aedes a M. Fuluio Nobiliore a. 565 = 189 uota in circo Flaminio aedificata est (Eumenius pro rest. schol. 7 = Baehr. p. 121; de ea aede reliqua testimonia inuenies apud Austium de aed. sacr. no. 55; addas autem Macrob. S. I 12, 16). In nummo Q. Pomponii Musae inter a. 680 = 74 et 704 = 50, cf. Mommsen Münzwesen no. 293. Praeterea cf. Ἡρακλῆς Μουσαγέτης Prell. Rob. I 492. 6.

*Mvtvnvs Tvtvnvs? u. p. 18.

Negotiator Mercvrivs CIRh 1460: *I[n] honorem d. d. Mercurio Negotiatori.* Cf. CIL XII 5687, 10 (in uaso ornato, supra caput petasatum Mercurii): *[Mercu]rius Felix N[egotiator?* Hirschfeld, *-undinator?* Froehner].

*Nona u. *Decima Nona.*

*Nova Concordia Dio Cass. XLIV 4, 5 (a. 710 = 44): νεών τε Ὁμονοίας καινῆς ὡς καὶ δι' αὐτοῦ (Caesaris) εἰρηνοῦντες οἰκοδομῆσαι . . . . ἔγνωσαν. Alibi non memoratur dubiumque est num sit cognomen.

Nvndinarivs Ivppiter CIL III 10820 = 3936 (Pann. Sup. a. 238 p. Ch): *I. O. M. Nundinario pro salute.* Comparat Iordanus (apud Prellerum I 205, 3) *nundinarum ius* (cf. Wilmanns Eph. II 271 seq.).

Nvndinator Mercvrivs CIRh 1508: *Deo Mercu[rio] Nundinatori.* Cf. CIL XII 5687, 10 (u. *Negotiator*).

Nvtrix Bona Dea CIL VI 74: *Bonae Deae Nutrici d. d.* Cf. III 5314 (Noricum): *Nutrici Aug. sacr(um) pro salute,* ubi Mommsen censet legendum esse *Fortunae Adiutrici* eqs.

Obseqvens Fortvna Romae prope portam Capenam aedem uel sacellum uel simulacrum habuit [Bas. Capit. reg. I 5: *uico Fortunae Obsequent(is)*]. Memorant Plautus (Asin. 716: *Quem te autem diuom nominem? | Fortunam atque Obsequentem*) et Plutarchus (de fort. Rom. 10: Τύχη . . . ἣν οἱ μὲν πειθήνιον οἱ δὲ μειλίχιον εἶναι νομίζουσι, cf. Q. R. 74: Τύχης μειλιχίας). In titulis: CIL X 6509 = I 1153 (Corae). VI 191. V 5247 (Comi). Cf. 814 (Aquileiae): *Deae Obsequenti d.* In nummis Antonini Pii (Coh. 147—150. 598—602 suppl. 16. 68).

Obseqvens Ivppiter CIL XI 658 (Fauentiae): *Ioui Opsequenti publice.* 619 (Foroliuii a. 170 p. Ch.): *I. O. M. Opseque[nti] . . . pro se et suos.*

Oclata Bona Dea CIL VI 75: *Anteros Valeri Bonae Deae Oclatae d. d. l. a. Oclata* i. e. *oculata* ob lumina restituta, cf. V 759 (Aquileiae) *auribus B(onae D(eae)* i. e. *Bonae Deae Auritae.*

Opifera Diana CIL XIV 3537 (Tibure): *Dianai Opifer(ai) Nemorensi.*

" Fortvna CIL XIV 3539 (Tibure): *C. Iulius . . . saltum Fortunae Opiferae restituit pro salute Polybi.* Cf. Cicero de leg. II 28: *Fortuna . . . . Respiciens ad opem ferendam.*

Opifera Ops Fast. Arual. a. d. X kal. Sept. = Aug. 23: *Volcano . . . . [Nymp]his in Camp(o) Opi Opifer(ae).* Eius aedes a L. Caecilio Metello (cons. a. 635 = 119?) dedicata est (Plin. N. H. XI 174: *Metellum pontificem . . . . in dedicanda aede Opi Opiferae,* cf. Iordan. Eph. ep. I p. 229; aedem memorat Cicero ad Att. VI 1, 17; cf. Iordan Top. I 2. p. 43, quamquam eius coniectura aedem in Capitolio fuisse iusto caret fundamento; cf. Mommsen CIL I^2 p. 327). Dea quia una cum Nymphis Volcanoque eodem die colebatur, '*Opifera*' dicta uidetur tanquam '*opem ferens*' contra ignis deuastationem. Quae explicatio magis arridet quam quae apud Augustinum legitur e Varrone sumpta c. d. IV 11: *ipse (Iuppiter) opem ferat nascentibus excipiendo eos sinu terrae et uocetur Opis.*

*Opitvlator Ivppiter Paul. p. 184: *Opitulus Iuppiter et Opitulator dictus est, quasi opis lator.*

*Opitvlvs Ivppiter Paul. p. 184 (u. *Opitulator*). Augustin. c. d. VII 11.

Opseqvens u. *Obsequens.*

Optimvs Maximvs Ivppiter i. e. populi Romani Iuppiter, cuius aedes in Capitolio a. 245 = 509 (Liu. II 8. VII 3; reliqua testimonia apud Austium de aed. sacr. n. 1) Id. Sept. (Plut. Popl. 14) dedicata est. Cf. Aust ap. Roscherum II 705, 61 seq. Gilbert Top. II 416 seq. Passim apud scriptores et in titulis maxime prouincialibus.

Optima Maxima Mater Magna CIL X 4829 (Rufris): *Matri Deum Optimae Maxim[ae].*

*Orientalis Silvanvs Gromat. uet. p. 302, 14 seq. (Lachm.) u. *Agrestis.* Sed haud scio an merum epitheton subsit.

Pacifer Apollo CIL VI 37: *Deo Sancto Apollini Pacifero.*

" Hercvles CIL X 5385 (Aquini): εὐχὴ Ἡρακλῇ Θαλλοφόρῳ ἱερῷ εὐακούστῳ: *Herculi Pacifero Inuicto Sancto.* In nummis Postumi (Coh. 46. 47) Probi (281—288) Diocletiani (202) Maximiani Herc. (48. 268—277) Carausii (103).

Pacifer Mars CIL IX 5060 (Terami): *[M]arti Pacife[ro].* VII 219 (Brit.): *Pacifero Marti.* Cf. CIRh 484 (in carmine epigraphico = Buecheler 20) *Martis et Pacis Lari.* In nummis a Septimio Seuero usque ad Constantinum I. Cf. Mars *Pacator* in imperatorum nummis.

*Paean Apollo Macrob. S. I 17, 15 (u. *Medicus*). Cf. Ἀπόλλων Παιήων uel Παιάν Prell. Rob. I 277.

Pagana Bona Dea CIL V 762 (Aquileiae): *Bonae Deae Paganae . . . . magistrae D. P. S.* Cf. IX 3138 (Lauernis): *templum Bonae Deae Pagi . . . . faciendu[m] curauerunt.*

*Panda Cela ? u. p. 18.

Panthea Fortvna CIL X 5800 (Aletri): *Marcellus N. Fortunae Pantheae d. d.* Cf. 1557 (Puteolis): *T. Vestorius Zelotus post adsignationem aedis Fortunae signum Pantheum sua pecunia d. d.*

Panthevs Ivppiter CIL II 2008 (Baetica): *Iouem Pantheum Aug(ustum) cum aede et tetrastylo.*

Panthevs Liber CIL XIV 2865 (Praeneste): *Signum Liberis pa[tris] Panthei.* IX 3145 (Corfini): *Libero Pantheo sac(rum).*

Panthevs Silvanvs CIL VI 695: *sancto Siluano Pantheo.* VII 1038 (Brit.): *Siluano [Pa]ntheo . . . pro salute.*

*Parca Morta ? u. p. 20.

*Patricivs Ianvs. Labeo apud Lydum de mens. IV 1: Ἰανὸν . . . πατρίκιον ὡσεὶ αὐτόχθονα, cf. Cedren. 1 p. 295, 9 Bonn.: Ἰανὸν . . . πατρίκιον αὐτόχθονα. Fortasse autem Ianus *Patricius* non diuersus erat a Iano *Curiatio,* ut subsit error Lydi (uide *Patulcius Clusiuius*).

*Patvlcivs Clvsivivs Ianvs (cf. supra p. 11). In carm. Saliar. fragmento apud Varronem l. l. VII 26 = frg. 2 Maurenbrecher: '*Ozeul o domine, es omnium pater Patulci *Cloesi* (??) Baehr. frg. 3. Ouid. F. I 129—130: *modo namque Patulcius idem et modo sacrifico Clusius ore uocor.* Macrob. S. I 9, 16 (cf. 15): *Patultium et Clusiuium quia bello caulae eius patent, pace clauduntur.* Seru. A. VII 610: *Alii Clusiuium dicunt, alii Patulcium, quod patendarum portarum habeat potestatem.* Labeo apud Lydum de mens. IV 1: Κλουσίβιον ἀντὶ τοῦ ὀδιαῖον . . . Πατούλκιον καὶ Κλούσιον οἱονεὶ Θυρεόν, ubi inter *Clusius* et *Clusiuius* iniuria distinxit.

Perenna u. *Anna Perenna.*

Permarini Lares. Eis aedem *uouerat . . . L. Aemilius Regillus nauali proelio* (a. 564 = 190) *aduersus praefectos regis Antiochi* (Liu. XL 52, 4). Quae aedes in Campo (Liu. l. c. cf. Macrob. I 10, 10.) a M. Aemilio Lepido censore a. 575 = 179 (Liu. l. c. qui aedis inscriptionem seruauit = Baehr. Frg. Poet. Rom. p. 54 seq.) a. d. XI kal. Ian. = Dec. 22 (Fast. Praen. cf. Macr. l. c.) dedicata est. Cf. Mommsen CIL I^2 p. 338, Aust de aed. sacr. no. 62, Wissowa apud Roscherum II 1871 1 seq.

Perpetva Pax CIL II 3349 (Tarrac.): *Augusto, Paci Perpetuae, Concordiae Augustae.* In nummis ab Augusto usque ad Valentinianum I.

*Pistor Ivppiter aram Romae in Capitolio (Gilbert Topogr. III 384, aliter Iordan apud Prellerum I 194) habuit. Ad cognomen explicandum Ouidius (F. VI 349 seq., cf. Lactant. I 20, 33) fabulam de Gallorum expugnatione narrat. Sed certe cognomen fabula antiquius est. Equidem uerisimilius duxerim Ouidium fabulam de suo finxisse. Preller (Röm. Myth. I 194) Iouem Pistorem generaliter accipiens intellegit *Frangentem, Ferientem.* Ego ita appellatum esse crediderim propter tutelam panis (cf. Farreus), quod factum esse potest antequam 'pistores' Romae existerent [cf. Plin. N. H. XVIII 107. Jordan l. c.].

Placida Venvs CIL VI 783: *Veneri Placidae sacrum.* Cf. Ἀφροδίτη γαληναία uel ἐλεήμων. Prell. Rob. I 365, 3.

Plagiaria Venvs CIL IV 1410 (Pompeiis): *Venus enim Plagiaria est* eqs. Equidem crediderim merum epitheton esse.

*Plebeia Pvdicitia aram uetustissimam in uico Longo habuit (Liu. X 23, 6; cf. Iuuenal. VI 308 *Pudicitiae ueterem aram*), quamquam quae Liuius de eius institutione narrat, fabulosa esse Wissowa docuit (Anal. Rom. Topogr. p. 8).

Plvvialis Ivppiter CIL IX 324 (Canusi cf. Horat. S. I 5, 91): *Ioui Pluvia[li].* Cf. CIL VIII 2609 (Numid.): *Ioui O. M. Tempestatum diuinarum potenti.* Tibull. I 7, 26: *pluvio . . . Ioui.* Apul. de mundo 37 *Iuppiter Imbricitor.* Similis ratio ut inter *Fulgurem* et *Tonantem,* intercedit inter *Elicium* et *Pluuialem.*

Popvlona Ivno (CIL X 4780. 4789. Mart. Cap. *Populona.* CIL III 1075 Macrob. Arnob. (Seneca) *Populonia*) uel rectius *Iuno Regina Populona* (CIL IX 2630. III 1075) colebatur Teani Sidicini (CIL X 4780 = I′ 1198. 4789. 4790. 4791.) et Aeserniae (CIL IX 2630). Titulus Apuli in Dacia repertus (CIL III 1075: *Iunoni Reginae Populoniae Deae Patriae*) fortasse a colonis illius Italiae regionis positus est. Romae num aedem habuerit ex

'Iuris Papiriani' fragmento (apud Macrobium S. III 11, 5: *in templo . . . Iunonis Populoniae angusta mensa est*) certo effici nequit, neque minus incertum est num eadem sit atque *dea Populonia*, quam Seneca (apud Augustinum c. d. VI 10) inter deas uiduas enumerat (cf. autem Iuno *Virgo*, quae Tarracinae colebatur, Seru. A. VII 799). Cognomen praeterea afferunt Arnobius III 30 et Martianus Capella II 149.

Popvlonia Ivno u. *Populona*.

*Porrima Postverta? u. p. 19.

*Portvnvs Ianvs? u. p. 13.

*Postverta u. *Porrima Postuerta*.

*Pota u. *Vica Pota*.

Potens Mercvrivs CIL VIII 51 (u. *Praeses*). Cf. V 6594 (ager Nouar.): . . . *Mercurio lucrorum potenti.* 6596.

*Potva u. *Victa Potua*.

*Praedator Ivppiter Seru. A. III 222: *Romani moris fuit ut bella gesturi de parte praedae aliquid numinibus pollicerentur: adeo ut Romae fuerit unum templum Iouis Praedatoris: non quod praedae praeest, sed quod ei aliquid ex praeda debeatur.*

Praesens Fortvna CIL VI 181: *Fortunae ·Augustae Respicie[nti] — Fortunae Augustae Praesenti.*

*Praesens Hercvles Tacit. Ann. XV 41 (a. 64 p. Ch.): *et magna ara fanumque quae Praesenti Herculi Arcas Euander sacrauerat . . . exusta.* Sed num in *Praesenti* re uera lateat cognomen ualde dubium est.

Praesens Silvanvs CIL VI 648: *Pro salute et incolumitate indulgentissimorum dominorum . . . Siluano deo Praesenti effigiem loci ornamentum religionem instituit.*

Praeses Ivno CIL X 4791 (Teani Sidicini): *Vitelliae Vergiliae Felsiae [m]inistrae sacrorum pu[blicorum] [P]raesidis Iu[no]nis Populo[nae]*; Mommsen adnotat: *Ministra haec fuit Iunonis Populonae sacrorum publicorum Praesidis: quod uocabulum non raro ad ipsa numina refertur.*

Praeses Mercvrivs CIL VIII 51 (Prou. Byzac.): *Prouidentia et instinctu Mercurii Potentis, Thysdritanae col(oniae) Praesidis et Conseruatoris numinis.*

Praestabilis Ivppiter CIL IX 1498 (Pagus Veianus): *Deo Ioui Praestabili.*

Praestans Apollo CIL VI 38: *Apollini Praestanti C. H. M.* III 991 (Dacia): *Deo Apollini Praestantiss[imo].*

Praestans Mars CIRh 691: *In h. d. d. Deo Marti Prestanti.*

Praestantissimvs Apollo u. *Praestans.*

" Silvanvs CIL IX 2126 (Vitolani a. 252 p. Ch.): *Siluano Publicensi . . . o Praestant . . . s . . . on Cordius.*

Praestes Ivppiter, cui Herculem sacrificium Tibure obtulisse fama est (CIL XIV 3555: *Ioui Praestiti Hercules Victor dicauit, Blandus pr. restituit*), saec. III sacellum Romae habuit (uita Maxim. et Balb. c. 5: *in proximum sacellum quod erat Iouis Praestitis*). Praeterea in titulo CIL III 4037 = 10868 (Pann. Sup.). Cognomen uetus *Praestes* (cf. *Lares Praestites* et *Prestota* in tabulis Iguuinis, Buecheler Vmbrica p. 98) iam liberae rei publicae aetate Ioui uidetur tributum esse.

*Praestites Lares antiquitus aram et simulacra figura canis ad pedes sedentis exornata, in summa sacra uia habuisse uidentur, ubi aetate posteriore Larum *Publicorum* aedes erat (cf. Wissowa Anal. Rom. Top. p. 19). De quibus simulacris Plutarchus (Q. R. 51) hoc αἴτιον proponit: Διὰ τί τῶν Λαρητῶν, οὓς ἰδίως Πραιστίτεις καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέρας ἀμπέχονται, et similiter Ouidius (F. V 129 seq.), uterque secutus, ut uidetur, Varronem. Ea quae Ouidius diserte narrat de ara quam numquam uidit, perperam rettulit ad kalendas Maias (cf. Wissowa l. c.). *Praestites* nominati sunt a *praestando* i. e. tutando (cf. supra Praestes Iuppiter et Mart. Cap. II 152: *Genius quem praestitem . . . uocauerunt*).

Praetoria Fortvna CIL XIV 3540 (Tibure): *Fortun(ae) Praetoriae sacrum*; cf. 3554: *Hercul[i] Tiburt(ino) Vict[ori] et ceteris dis Praet(oriis) Tiburt(inis).*

Primigenia Fortvna (= Τύχη Πρωτογένεια Plutarch. Q. R. 74, cf. 106) dea Praenestina (cf. CIL XIV 2849—2888 Fast. Praen. ad III Id. Apr. = Apr. 11), cui a. 550 = 204 P. Sempronius Tuditanus aedem in urbe uouit (Liu. XXIX 36, 8), quam a. 560 = 194 *in colle Quirinali dedicauit Q. Marcius Ralla duumuir* (Liu. XXXIV 53. 5, cf. Fest. p. 238). Dies natalicius non VIII Kal. Iun. = Mai 25 (quod uoluerunt Aust de aed. sacr. no. 49 et R. Peter ap. Rosch. I 1517, 11) sed Id. Nou. = Nou. 13 (cf. Fast. Aru.; Idus autem Ioui sacrae sunt, cuius filia praecipue haec Fortuna Praenestina erat) fuisse uidetur, nam in fastis Esquilinis ad Mai 25 *P. R.* non *Pr(imigeniae)* significat, sed *P(opuli) R(omani)* soluendum esse Mommsen docuit (CIL I^{2} p. 319), ita ut error subsit in fastis Venusinis, qui ad diem 25 Mai referunt, natalem scilicet diem aedis *Fortunae Publicae Populi Romani*, quam cum Fortuna Primigenia confundere solent uiri docti (e. g. Aust, Peter l. c.). Prodigium in ea aede factum narrat Liuius (XLIII 13, 7); cultum urbanum demonstrant tituli: CIL VI 193. 194. 195. 3681. Addo apud Plutarchum (l. c.) commemorari deae aedem in Capitolio positam aliunde non notam.

Primigenivs Hercvles sacellum uel simulacrum Romae habuisse uidetur, cf. CIL VI 7655: *Sex. Clodius . . . eborarius ab Hercule Primigenio.* 9645: *P. Saenius . . . menestrator ab Hercul(e) Primig(enio).* Praeterea cf. CIL II 1436 (Baetica): IX 2795 (Aufidenae a. 195 p. Ch.): *H(erculi) P(rimigenio?) d(edit).*

*Privata? Fortvna. Ita latine reddidit Preller (Myth. Rom. II 184, cf. Peter ap. Rosch. I 1518, 39) ἰδίαν Τύχην, quam Plutarchus (de fort. Rom. 10 cf. Q. R. 74) ἱερὸν ἐν Παλατίῳ habuisse refert. Non cognomen sed epitheton equidem existimauerim, quod idem iudicium ferendum est de *Laribus 'priuatis'* (Plin. N. H. XXI 11). Fortasse aedes illa in Palatio erat Fortunae *Respicientis* (q. u.), cuius nomen in Plutarchi fonte '*Priuatam*' secutum esse uidetur, cf. p. 29.

Proba Venvs CIL X 3692 (Cumis): *Veneri Probae Sanctiss(imae) sacr.*, sequitur carmen epigraphicum (= Buecheler no. 255).

Propagator Ivppiter CIL VIII 4291 (Numidia): *[I]. O. [M] Propagatori Conseruatori et Genio fontis.* In nummis Maximini II (Coh. 129). Cf. Mars Propagator in Maxenti nummo (Coh. 15).

Propvgnator Ivppiter. Reperti sunt fasti nescio cuius collegi sacerdotum, qui *in Palatio in aede Iouis Propugnatoris* conueniebant, cf. CIL VI 2004—2009 (a. 180—238 p. Ch.). In nummis a Septimio Seuero usque ad Galerium Maximianum.

Apollo Propugnator in nummis Valeriani (Coh. 21) et Gallieni (57) memoratur, *Mars Propugnator* in nummis a Caracalla usque ad Constantinum I.

*Prorsa u. *Porrima Postuerta.*

*Prosa u. *Porrima Postuerta.*

Protector Mars CIL VIII 12425 = 895 (Prou. Procons. a. 239 p. Ch.): *Marti Aug. Protectori D(omini) N(ostri).* 19124 (Numidia): *Marti Aug. Protectori D̅ N̅ Imp. Caes. M. Aureli Seueri Alexandri.*

Pvblica Felicitas CIL VI 2041 = Henzen Acta frat. Arual. p. 71 (a. 58 p. Ch.): *L. Saluius Otho Titianus mag(ister) collegi fratrum Arualium nomine immolauit in Capitolio ob imperium Neronis . . . . Felicitati Publicae uacc[am].*

Pvblica Fides (= Πίστις Δημοσία Dionys. Hal. II 75). Fides dea cum κατ' ἐξοχήν '*Publica*' sit i. e. dea quae tutatur rem publicam hominumque societatem, raro id cognomen inuenitur. Habent Dionysius Hal. l. c. (ubi de aede eius Capitolina agitur, quam Numa condidisse fertur) et Valerius Maximus (III 2, 17); tacent Liuius (I 21) et Plutarchus (Numa 16). In titulo CIL II 4497 (Tarrac.) et in nummis Domitiani (Coh. 324—332) Vespasiani (277—281) Titi (37) Hadriani (233—235) Caracallae (55, 56) Macrini (15, 16) Elagabali (30).

Pvblica Fortvna (= Τύχη Δημοσία Dio Cass. XLII 26). Prope portam Collinam tres Fortunae aedes erant (cf. Vitruu. III 2, 2), quarum duae Fortunae *Publicae*, tertia Fortunae *Primigeniae* (quae numquam '*Publica*' dicitur) dedicatae sunt. Alterius Fortunae Publicae aedis, '*Citerioris*' quam uocabant (cf. Mommsen CIL I^{2} p. 315), dies natalicius erat d. 5 Apr. (Fast. Praen. Ouid. F. IV 375), alterius d. 15 Mai (Fast. Caer. Esquil. Ouid. F. V 727 seq., de fastorum Venusinorum errore uide sub '*Primigenia*'). Vtra aedes a. 707 = 47 de caelo tacta sit (Dio Cass. l. c.) ignoramus. In titulis

CIL IX 1543 (Beneuenti): *Fortunae Poblicae.* X 1558 (Neapoli a. 46 p. Ch.). III 1010 (Dacia).

PVBLICI LARES CIL VI 456 (a. 750 = 4): *Laribus Publicis sacrum Imp. Caesar Augustus Pontifex Maximus .... ex stipe* (cf. Henzeni nota et Wissowa ap. Rosch. II 1881 10 seq.). V 2795 (Patauii). XI 697 (Bononiae). II 816. 817 (Lusit.). Vix dubium est quin Lares in summa Sacra uia culti '*Publici*' fuerint (cf. Aust de aed. sacr. no. 73). Praeterea cf. Plin. N. H. XXI 11: *Larum publicorum priuatorumque.* '*Lar Publicus*' occurrit in carmine epigraphico CIL VIII 2581 (Numidia) = Buecheler 1527 A.

PVBLICI PENATES. Sicut Lares in summa Sacra uia, ita Penates in aede (cf. Aust de aed. sacr. no. 64) in Velia sita *Publicos* appellatos esse constare uidetur. Cognomen autem nusquam legitur nisi in nummis gentis Sulpiciae, si quidem recte ibi *D. P. P.* (cf. *P. P.* in nummis gentis Fonteiae) soluerunt in *D(i) P(enates) P(ublici).* Cf. Mommsen, Röm. Münzwesen p. 576 n. 203. p. 573 n. 198.

PVBLICA SALVS Dio Cass. LIV 35 a. 745 = 9: ἐπειδή τε ἀργύριον αὖθις ἐς εἰκόνας αὐτοῦ (Αὐγουστοῦ) καὶ ἐκείνη καὶ ὁ δῆμος συνεσήνεγκαν, ἑαυτοῦ μὲν οὐδεμίαν, Ὑγιείας δὲ δημοσίας καὶ προσέτι καὶ Ὁμονοίας Εἰρήνης τε ἔστηκεν. Cf. Ouid. F. III 881—882 ad III Kal. Apr. = Mart. 30: *Ianus adorandus cumque hoc Concordia mitis et Romana Salus araque Pacis erit.* In titulo CIL X 5821 (Ferentini): *[S]aluti Publicae [s]acrum.* In nummis a Galba usque ad Carausium.

PVDICA VENVS CIL VI 784: *Veneri Pudicae Claudia Maxilla ex uisu donum posuit.*

PVRGATOR? IVPPITER CIL X 6641 (Anti): *[I]oui [Pu]rgatori.*

PVTEALES? LARES. Bas. Capit. reg. XIV 11: *Vico Larum [P]u[tea]lium* (ita Iordan Top. II 586. Huelsen Ind. Top. 98), Smetius legit *[R]u[ra]lium,* quem secuti sunt Mommsen et Wissowa ap. Rosch. II 1886, 67.

QVADRIVII LARES CIRh 1139: *Laribus Competalibus siue Quadriui,* sed cf. M. Ihm. Jahrb. des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinl. 83 p. 89. 174 no. 462.

QVIETVS VOLCANVS CIL VI 802: *Volcano Quieto Augusto et Statae Matri Augustae.* 801: *Volcano Quieto Augusto sacrum . . . mag. reg. III uic.* e. q. s. Cf. Festus p. 317.

QVIRINVS IANVS (Mon. Ancyr. Gr. VII 7 Πύλην Ἐνυάλιον) i. e. *ianus* deo Quirino consecratus (cf. ianus Iunonius). *Quirinus* autem oppidi *Quirii* eponymus deus fuisse uidetur (cf. *Quiritis* et Theod. Birt Ind. Lect. Marp. 1887 p. XIV. XV). Vt Iuppiter *Lucetius* apte comparatur cum Iunone *Lucina,* ita deus *Quirinus* cum Iunone *Quirite.* Veterum testimonia prope nihil ualent (cf. Macrob. S. I 9, 15. Seru. A. VII 610. Fest. p. 189; *ianum* memorant Mon. Ancyr. l. c. Horat. C. IV 15, 9. Suet. Aug. 22). Posteriores alii Quirinum eundem esse atque Martem (cf. Varro ap. Dionys. Hal. II 48. Seru. A. I 292), alii eundem atque Romulum (cf. Cic. de off. III 10. Verg. A. I 292 et Seruii nota) putabant. Fortasse *Ioui Quirino* (an *Ioui (et) Quirino?*) legendum est in titulo CIL IX 3303 a, b (Superaequi).

QVIRITIS IVNO. Veteres uocem, quae uarie traditur *(Quiritis, Quiris, Curitis Curis, Curritis)*, deriuauerunt uel a *curite* i. e. hasta (Paul. p. 49. 63 *Curitis.* Cf. Seru. I 8 *Curitis.* Mart. Cap. II 149 *Curitis*) uel a *Curibus* oppido (Steph. Byz. s. u. Κυρίς, cf. Paul. p. 49) uel a *curru* (cf. Seru. A. I 8 *Curitis.* I 17. II 614 cod. *Curritis*; Thilo *Curitis.* Mart. Cap. II 149) uel a *Curia* (Dionys. Hal. II 50 Κυριτία, Paul. p. 64 *Curis.* Seru. A. I 17). Sed fortasse *Quiritis, Quirinus, Quirium* (oppidum) ita inter se cohaerent sicut *Samnitis, Sabinus, Samnium.* Quare probabile est subesse eponymon, non cognomen. Commemoratur praeterea in titulis; CIL XI 3125 (Faleriis): *Quiritis.* 3126: *Curritis.* 3100: *Cu[rritis?].* IX 1547 (Beneuenti): *Quiritis.* In fast. Aru. ad non. Oct.: *[I]unoni Curriti.* In fast. Paul.: *Iunoni Q(uiriti).*

RECTOR IVPPITER Arch. ep. Mitth. Oest. Ung. 1895 p. 106: *I. O. M. Rector[i], Iunoni Reginae, Mineruae, Victoriae, Volkano, Mercurio, Fatis Diuinis.* Cf. III 1090 (Dacia): *diuinarum humanarumque rerum Rectori.* VIII 18219 (Numidia): *caeli terrarumque Rectori.*

*REDICVLVS u. *Tutanus Rediculus.*

REDVX DIANA CIL IX 4644 (Interocrii a. 749 = 5): *Lumpheis Dian[ae] Reducis sacr(um).* In Postumi nummo (Coh. 26).

REDVX FORTVNA (Dio Cass. LIV 10 Τύχη ἐπανάγωγος. Mon. Ancyr. Gr. VI 7 Τύχη Σωτήριος) a. 735 = 19 (Dio. Cass. l. c.) IV Id. Oct. = Oct. 12 (Fast. Amit.). In Augusti honorem ara Fortunae Reducis *quae eum ex transmarinis prouinciis reduxit,* constituta, XVIII Kal. Ian. = Dec. 15. (Fer. Cuman. Cf. Fast. Amit. Mon. Ancyr. l. c.) dedicata est. Postea Fortuna Redux pro multorum imperatorum reditu et salute culta est, cf. Peter ap. Rosch. I 1526, 75 seq. In titulis: CIL VI 196. 197. XIV 2903 (Praeneste). IX 4952 (Curibus). 5177 (Asculi Piceni). V 5609 (Riuae). XII 163 (Gall. Narb.). II 2773 (Tarrac.). VII 370. 984. 164. 1064 (Brit.). III 733 (Thrac.) 789 (Dacia) 790. 1011. 1422. 1906 (Dalmat.). 3158ª. 3421 (Pann. Inf.). 5938 (Raet.). VIII 1624 (Prou. Procons.). 4436 (Numid.). 4874. 6303. 7983. In nummis ab Augusto usque ad Galerium Maximianum.

REDVX IVPPITER CIL VI 428 (a. 235 p. Ch.): *Pro salute et reditu imp(eratoris) .... templum Iouis Reducis .... exornauit.* X 57 (Vibone): *[I] O. M. Red. Iuppiter Redux* apud Martialem VIII 15, 2 = Imperator Domitianus.

REDVX MERCVRIVS CIL V 4025 (Sirmione): *C. Betutius Eucolpus Mercuri Redu ....*

„ VICTORIA CIL XIV 2258 = VI 793 (ager Alban. a. 244 p. Ch., cf. Domaszewski, Relig. d. röm. Heeres. p. 38). Cf. CIL VI 186: *pro salute et reditu et uictoria.*

REGINA FORTVNA CIL III 4399 (Pann. Sup.): *Fortunae Regin(a)e Aur. Marcus u. s. l. l. m.* Cf. Horat. C. I 35, 1: *O diua gratum quae regis Antium.*

REGINA IVNO (Mon. Ancyr. X 11 βασιλίς. Dionys. Hal. XIII 3 ἡ βασιλεία Ἥρα). Iuno Regina a. 358 = 396 Veiis Romam inlata aedem in Auentino accepit (Liu. V 21, 3, de qua u. reliqua testimonia apud Austium de aed. sacr. n. 10). Idem cognomen postea Capitolinae Iunoni, Iouis Optimi Maximi comiti, inditum passim in titulis legitur. Neque enim primitus Capitolinam deam tali cognomine appellatam esse uerisimile est, cum plane dubium sit num Iuppiter Romanus umquam in cultu uocatus sit *Rex,* ad quod confirmandum minime ualent loci Ciceronis (de rep. III 13, 23), Dion. Cassi (XLIV 11). Regina autem Iuno quae Ardeae (cf. Plin. N. H. XXXV 115) et in aliis Italiae oppidis colebatur, fortasse originem duxit e Iunone Romana. De altero eius templo a. 575 = 179 ad circum Flaminium dedicato cf. Aust de aed. sacr. no. 60. Praeterea in nummis memoratur maxime Augustarum inde ab Hadriano usque ad Magniam Vrbicam.

REGINA SALVS CIL VII 100 (Brit.): *Saluti Reginae P. Saltienius* e. q. s.

RESPICIENS FORTVNA (= Τύχη Ἐπιστρεφομένη Plut. de fort. Rom. 10. Q. R. 74) aedem uel simulacrum in Palatio habuit (Bas. Capit. reg. X 3. Notit. Reg. Curiosum). Teste autem Plutarcho (de fort. Rom. 10) eius ἱερὸν ἐν Αἰσκυλίαις erat (sed cf. *Priuata Fortuna*). Cognomen explicant et Cicero (de leg. II 28: *Respicientem ad opem ferendam*) et Dio Cassius (XLII 26, 4 ἐκ τοῦ πάντα τὰ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ τὰ κατόπιν καὶ ἐφορᾶν καὶ ἐκλογίζεσθαι χρῆναί τινα). In titulis: CIL VI 181 (u. *Praesens*). IX 5178 (Asculi Piceni). XI 817 (Mutinae). CIRh 1583 (a. 148 p. Ch.). Praeterea Fronto de orat. p. 157 (Nab.).

RESPICIENS HERCVLES CIL IX 4673 (Reate): *Loc. cultorum Herculis Resp(icientis).*

RESTITVTA BONA DEA CIL VI 67: *Bon(ae) Deae Restitut(ae).* 66: *B(onae?) D(eae?) R(estitutae?).* Cf. 68 '*ob luminibus restitutis*' (u. *Agrestis*).

RESTITVTRIX FORTVNA: Ara Fortunae Restitutricis Romae in castris Praetoriis, cf. CIL VI 30872.

RESTITVTOR HERCVLES CIL III 6867 (Pisidia): *Herculi Restitutori C. Iulius Hilario.*

RESTITVTOR IVPPITER CIL X 4553 (Trebulae): *[I]oui Op[t]imo Maximo Pientissimo Exauditori Resstitutori.* III 569 (Achaia): *I. O. M. Restitutori.*

RESTITVTOR SILVANVS CIL VI 696: *Sancto Siluano Restitutori.* 697: *Siluano Sancto R.*

RVRALES? LARES u. *Puteales.*

*RVSTICVS HERCVLES. Vita Commodi 10, 9: (*Imperator*) *hominem ... sibi carissi-*

mum ..... sacerdotio Herculis rustici praeposuit. Cognomen alibi non memoratur.

Salvtaris Aescvlapivs CIL XI 3710 (Pyrgis): *Asclepio Salutari Aug. sacr. in honore patris Pyrgensis.* III 987 (Dac.): *Aesculapio et Hygiae ceterisque diis deabusq. huiusq. loci Salutaribus.*

Salvtaris Apollo CIL VI 39: *Apollini Salutari et Medicinali sacrum.* In nummis Treboniani Galli (Coh. 14), Volusiani (10. 11), Valeriani (23).

Salvtaris Fortvna CIL VI 184: *Fortunae Bonae Salutari.* 201. 202. III 3315 (Pann. Inf.). CIRh 516: *Fortunis Salutaribus.* Cf. R. Peter ap. Rosch. I 1523.

Salvtaris Hercvles CIL VI 237: *Genio horreorum Leonianorum et Herculi Salutari.* 338. 339. Henzen adnotat: *fuisse uero et hoc (no. 338) sodalicium horreorum et collegium sagariorum tituli sequentis (no. 339) funeraticia uidetur indicare cognomen dei quod est salutaris.*

Salvtaris Hygia u. *Aesculapius Salutaris.*

" Ivppiter. Primus Cicero commemorat de fin. III 20, 66: *atque etiam Iouem cum .... dicimus ... salutarem ... hoc intellegi uolumus, salutem hominum in eius esse tutela.* Propter pestilentiam a. 262 p. Ch. ortam ex iussu librorum Sibyllinorum Ioui Salutari sacrificatum est (uita Gallien. duor. c. 5). De aede urbana non constat, nam illa '*aedes*' quae in titulo CIL VI 425 commemoratur, potius *aedicula* erat (cf. Henzeni nota). Praeterea cf. titulos CIL III 6456 (Pann. Inf.): *I. O. M. Salutari et Genio domus eius L. Serenus Bassus grauissima infirmitati liberatus u. s. l. m.* [CIL VI 82 *[domi]no [o]ptumi [Sa]lutari* ad Mithram deum pertinere uidetur.]

Salvtares Lares CIL VI 459: *Laribus Salutaribus Reginus nost. cos.*

Salvtaris Silvanvs CIL VI 651: *Siluano Salutari ... ex uisu.* 652. 3716 (a. 182 p. Ch.). 3715. Cf. VIII 2579 (Numid.), ubi Siluanus cum Ioue Valente, Aesculapio, Hygia coniungitur.

Salvtifer Hercvles CIL III 1572 (Dacia): *Herculi Salutifero Q. Vib. Amillus Aug. Col. Dac. pro salute Iuliani fili sui.*

Semitales Lares CIL XI 3079 (Faleriis): *Voto suscepto Laribus Compitalibus Vialibus [S]emitalibus sacrum.* Wissowa (ap. Rosch. II 1887, 6) delegat ad Verg. Catal. 8, 20 *neque ulla uota semitalibus deis sibi esse facta.*

Semonia Salvs u. p. 21. Addas titulum Notiz. degli Scavi 1890 p. 388, cf. Huelsen Röm. Mitth. 1891 p. 129.

Sempiternvs Ivppiter Fer. Cuman. ad VII Id. Ian. = Ian. 7: *Supplicatio Ioui Sempi[terno]*, sed uix aedem in urbe habuit. Cf. Mommsen CIL I² p. 306.

Serenvs Ivppiter CIL VI 431: *Ioui Sancto — Ioui Sereno.* 433 (III saec. p. Ch.). *Iuppiter Serenus* ap. Martialem V 6, 9. IX 24, 3 = Domitianus. *Serenatorem* habet Apuleius de mundo 37, quod epitheton est potius quam cognomen.

Servatrix Fortvna CIL VII 296 (Brit.): *Fortunae Seruatrici Anton[i]a Stratoni[ce] u. s.* Cf. *Conseruatrix.*

Servator Ivppiter CIL IX 4852 (inter Forum Nouum et Cures): *Ioui Optimo Maximo Seruatori Conseruatori.*

*Silvanvs Favnvs? u. p. 13.

Sobrivs Mercvrivs CIL VIII 14690 (Prou. Procons.): *Mercurio Sobrio, Genio Sesase ... pro salute.* 12002 (Prou. Byzac.): *Merc[u]rio Sob[rio].* Num ille Mercurius Sobrius idem fuerit ac Mercurius cui Romae in uico Sobrio *lacte non uino supplicabatur* (Paul. p. 296 = Fest. 297; cf. CIL VI 9714. 9483), incertum est.

Somnialis Hercvles CIL XI 1449 (Pisae): *V. F. Cultores Herculis Somnialis Decuria dis Manibus.* Cf. R. Peter ap. Rosch. I 2962, 35 seq.

*Sororia Ivno u. *Curiatius.*

Sospes Ivno u. *Sospita.*

Sospita Ivno (apud scriptores passim *Sospita* praeter Festum p. 343: *Sispitem Iunonem quam uolgo Sospitem appellant*; in nummis *Sispita,* in titulo CIL XIX 2090 = I 1110 *Seispis*; reliqui tituli praebent compendia *I. S. M. R.* uel *Iunoni S. M. R.*), dea uetusta Lanuuina (cf. tituli Lanuuini CIL XIV 2090 = I 1110, XIV 2091, 2088, 2089, 2121). Inde ab a. 416 = 338 *aedes lucusque Sospitae Iunonis communis Lanuuiis municipalibus cum populo*

Romano erat (Liu. VIII 14, 2). De eius cultu Lanuuino cf. Roscher in lexico II 595, 63 seq. Libera republica Romae duo templa habuit, unum in foro Holitorio a. 557 = 197 uotum (Liu. XXXII 30, 10, cf. Aust de aed. sacr. no. 50) alterum in Palatio (Ouid. F. II 55, cf. Aust de aed. sacr. no. 102). De deae effigie cf. Cicero de nat. deor. I 82 et L. Thorii Balbi nummi circa a. 660 = 94 cusi, cf. Mommsen Röm. Münzwesen no. 193. In nummis Antonini Pii (Coh. 645) et Commodi (84, 573).

Sospitatoris epitheton Ioui tribuitur in nummis Septimi Seueri (Coh. 148, 471), Caracallae (72, 410), Getae (30, 141).

Stabilis Fortvna CIL III 5156ª (Noricum): *Fortunae Stabili .... pro salute dominorum nn. impp. L. Septimi Seueri I. Pertinacis* e. q. s.

Stata Fortvna CIL VI 761 (a. 12 p. Ch.): *Statae Fortunae Aug(ustae) sacr(um) .... mag. uici,* cf. *Stata Mater* VI 762. 763. 764. 765. 766.

Stator Ivppiter (Dionys. Hal. II 50 Ζεὺς ὀρθώσιος, Plut. Cic. 16 Ζεὺς Στήσιος). Aedes in Noua uia, quam Romulus condidisse putabatur (Dionys. Hal. l. c. Liu. I 12, 3. Ouid. F. VI 793 cf. Gilbert Top. III 425), a M. Atilio Regulo a. 460 = 294 uota est (Fab. Pictor ap. Liu. X 37, 14 = frg. 19 Peter, cf. Liu. X 36, 11). Reliqua testimonia inuenies apud Austium in Roscheri lexico II 682, 14 seq., qui collegit etiam p. 684, 30 seq. testimonia de aede ad circum Flaminium post a. 608 = 146 aedificata. Cf. praeterea Huelsen Ind. Top. p. 83. Memoratur in fastis Vrbin. (CIL I² p. 252); in titulis: CIL VI 434. 435. III 895 (Dacia). VIII 17674 (Numidia); in nummis inde ab Antonino Pio usque ad Carausium. Cf. Domaszewski, Relig. d. röm. Heeres p. 115—121.

Striganvs Iuppiter CIL X 3337 (Miseni): *Ioui Strigano L. Varenius Rufus TR.* Mommsen confert titulum Misenensem X 3495: .... *Fl(auius) Iuc(undus) Marcel(lianus?) Strig.*

Svmmanvs Ivppiter cf. supra p. 14. CIL V 3256 (Veronae): *Ioui Summan[o].* 5660 (ager Mediolan.): *u. s. l. m. Ioui alto Summano.*

Svpera Fortvna CIL III 1014 (Dacia): *Fortunae Super(a)e Aug(ustae) sacrum cum aede u. s. l. m.*

Terminvs Ivppiter u. p. 14.

Territor Ivppiter CIL XIV 3559 (Tibure): *Sancto Ioui Territori sacrum.* Cf. Dionys. Hal. VI 90 Ζεὺς Δειμάτιος.

Tonans Ivppiter (Mon. Ancyr. Gr. X 10 Βροντήσιος. Dio Cass. LIV 4 Βροντῶν). Augustus *Tonanti Ioui aedem consecrauit liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica* (a. 728 = 26) *lecticam eius fulgur perstrinxisset* (Suet. Aug. 29), quae a. 732 = 22 (Dio Cass. LIV 4. Mon. Ancyr. IV 5) Kal. Sept. (Fast. Aru. Amit. cf. Fast. Ant.) dedicata est. De ea aede cf. praeterea Suet. Aug. 90. In titulis: CIL IX 2162 (Caudii). XI 3778 (Veiis). XII 501 (Aquis Sextiis). In nummis Augusti (Coh. 158—161. suppl. 28. 29) et passim apud poetas (loci ap. Austium in Rosch. lex. II 748, 19 seq.). Noli autem confundere Iouem Tonantem deum Graecanicum (cf. Ζεὺς Βροντῶν Prell. Rob. I² 118, 1, *Iuppiter Bronton* CIL VI 432, *deus Bronton* VI 2241; cf. Dio Cass. l. c.) cum Ioue *Fulgure* deo uetere indigete.

Tonitrator Ivppiter CIL III 8374 = 2766ª (Dalmat.): *I. O. M. Tonitratori. Tonitrualis* habet Apuleius de mundo 37.

Trivmphalis u. *Arcensis Triumphalis.*

Tvnnvs? Ivppiter CIL XI 1593 (Florentiae): *Tunni Iouis.*

*Tvtanvs Redicvlvs u. p. 20.

Tvtatrix Fortvna CIL XII 4183 (Gall. Narb.): *Deae Fort[unae] Tuta[trici] huius [l]oci.*

Tvtator Hercvles CIL VI 343 (a. 26 p. Ch.): *[He]rculi Tuta[tori] [A]ug. sacr(um).* Titulum posuerunt uicorum magistri.

Tvtator Ivppiter CIL XI 1549 (Beneuenti): *Ioui Tutatori Mar ...* III 8024 = 1590 (u. *Defensor*). In nummis Diocletiani (Coh. 259—234) et Maximiani Herculis (314—318).

Tvtela Fortvna CIL VI 178: *deae Fortunae Tutelae,* cf. VI 177. 179. 216. CIRh 628, ubi Fortuna una cum dea Tutela inuocatur. Cf. *Iouis Tutelae* CIL V

4243 (Brixiae); Aust (ap. Rosch. II 752, 23) *Ioui Tutelae* intellegere uidetur, parum recte.

TVTOR HERCVLES CIL X 3799 (Capuae): *Herculi Tutori Domus Nouelliana.*

TVTOR IVPPITER CIL XIV 25 (Ostiae): *Ioui Tutori Q. Veturius Secundus .... domu(m) daeder(unt) cultoribus.* Idem cognomen Thilo apud Seruium (A. VIII 652) restituit: *quod hodieque ara in Capitolio est Iouis Tutoris (Sutoris* cod., *Soteris* Dan.).

*TVTVNVS u. *Mutunus Tutunus.*

VALENS IVPPITER CIL VIII 2579 (u. *Salutaris Siluanus*).

VEATOR u. *Viator.*

VERTENS? CERES CIL X 129 (Potentiae): *Cereri Vert[enti?]*, cf. Birt ap. Rosch. I 863, 56 '*die umpflügende*'; Gilbert Top. III 79, 2: *Cereri, Vert[umno].*

*VERTICORDIA VENVS. Veneri Verticordiae, quae uirginum mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam conuertebat (aeque ut Ἀφροδίτη ἀποστροφία, cf. Prell. Rob. I 368), simulacrum inter a. 537 = 217 et a. 550 = 204 (Val. Max. VIII 15, 12. Plin. N. H. VII 120. Solin. I 126. Cf. Wissowa de Veneris simulacris p. 12) et aedes ad circum Maximum (Seru. A. VIII 636, cf. autem Wissowa l. c.) propter prodigium [Iul. Obseq. 37. Oros. V 15] a. 640 = 114 Kal. Apr. (Ouid. F. IV 159 seq., cf. Lyd. de mens. IV 45) dedicata sunt.

VIALIS LAR CIL VI 2103 = Henzen Acta fr. Aru. p. 122 (a. 214 p. Ch.) *[quod domi]nus n(ostri) imp(erator). (= Caracalla) . . . felicissime ad (h)iberna Nicomediae ing[ressus sit] .... Fort(unae) Duci b(ouem) .... [Lari V]iali ... t(aurum):* CIL III 1422 (Dacia a. 238 p. Ch.): *Fortunae Reduci Lari Viali, Romae Aeternae* e. q. s.

VIALES LARES Plaut. Merc. 865: *Inuoco uos, Lares uiales ut me bene tutetis.* In titulis: CIL XI 3079 (u. *Semitales*). II 2417 (Tarrac.). 2518. 2572. 2987. 5634. 5734. VIII 9755 (?) (Mauretan.). Cf. praeterea Seru. A. III 302 et Labeo apud Seru. A. III 106.

VIATOR MERCVRIVS CIL XII 1084 (Gall. Narb.): *Mercurio Veatori* e. q. s. (cf. Varr. R. R. I 2, 14. 5849: *[Me]rc[urio?] Viat[ori?].* Cf. praeterea CIL VII 271 (Brit.): *Deo qui uias et semitas eommentus est* e. q. s. Caes. B. G. VI 17: *uiarum et itinerum duci.*

VIATORII LARES CIL XII 4320 (Gall. Narb.): *Laribus Magnis et Viator[iis].* Cf. *Viales.*

*VICA POTA u. p. 18.

*VICTA POTVA u. p. 18.

VICTRIX DIANA. In nummis Claudii II (Coh. 64) et Aemiliani (5). In titulis: CIL VIII 9790 (Mauretan. Caesar); f. 9831 *Dianae .... victrici ferarum.* Fortasse epitheton, non cognomen est. Cf. autem p. 32.

VICTRIX FORTVNA CIL VIII 5290 (Numidia a. 294/305 p. Ch.): *[For]tunam Victricem cum simularis Victoriar(um).* Cf. XIV 4002 (Ficuleae): *aedem Fortunae et Victoriae.*

VICTOR HERCVLES. *Victoris* cognomen origine Tiburtinum esse ostendunt tituli CIL XIV 3544. 3546. 3549. 3550. 3551. 3553—3555. 3599. 3601. 3609. 3611. 3650. 3674; cf. Dessau CIL XIV p. 367. Eiusdem originis erat Caci fabula, qua de causa apud antiquarios *Victoris* uox Herculi attribuitur (cf. Wissowa Anal. Rom. Top. p. 11). Romae autem raro *Victor* appellatur, frequentius *Inuictus* (q. u.). Templum illi L. Mummius a. 608 = 146 uouit (CIL VI 331 = I 541, alia testimonia apud Austium de aed. sacr. no. 67). Praeterea cognomen memoratur in titulis: CIL VI 330. 328 *(Victori .... Inuicto).* 332? 333?? 319 in carmine = Buecheler no. 22. XIV 4056 (Fidenis). X 5386 (Aquini). V 5508? (prope lacum Verbanum). 7554 (Sardin.). III 11743 (Noric.). VII 313 (Brit.); in nummis inde ab Aemiliano usque ad Constantinum I.

VICTOR IVPPITER (= Ζεὺς Νίκαιος Dio Cass.). Ioui Victori aedes a Q. Fabio a. 459 = 295 (Liu. X 29, 14 cf. 29, 18; 42, 7) dedicata est. Reliqua testimonia dabit Aust apud Roscherum (II 679, 50 seq.). Aram (in Capitolio?) commemorat Dio Cassius (XLVII 40, 2 a. 712 = 42. LX 35, 1. a. 54 p. Ch. Cf. XLV 17, 2). In titulis: CIL VI 2051. 2086. XI 2616 (Rusellis).

V 5063 (Anauni). 3413? (Veronae). VIII 4577 (Numid.). 4584? 6981. 7045. In nummis inde a Vitellio usque ad Carausium. Cf. praeterea Quintil. I 4, 17. Augustin. c. d. VII 11. *Iuno Victrix* legitur in nummo Saloninae (Coh. 49).

VICTOR LAR CIL XI 2096 (Clusii): *Lari Victori sacr(um) Gauia Statuta u. s. l. m.* Cf. CIRh 484: *Martis et Pacis Lari,* in carmine = Buecheler no. 20.

VICTOR MARS. In titulis (extra Italiam repertis omnibus): CIL II 2473 (Tarrac.): *Deo Marti Victori ob euentum bonum gladiatori muneris;* CIRh 138: *Marti Vict(ori) Gladiatores;* 773. CIL VII 425 (Brit.): *Marti Victori Genio loci et Bono Euentui.* 509. 706. 992 (cum Victoriae alatae simulacro). 993. VIII 8439 (Mauretan.). 10716 (Numid.) *Geni[o] Mar[tis] Vict[oris].* 10718 = 17626: *[I]. O. M. [M]arti Vic[tori] Dii[s] I[u]uantibus.* Cf. praeterea *Mars et Victoria* p. 34.

VICTRIX MINERVA CIL III 10438 (Pann. Inf.): *Mineruae Victrici.* In nummis a Commodo usque ad Vranium Antoninum. Sed iam circa a. 693 = 61 Pompeius Mineruae quasi Νικηφόρῳ delubrum ex manubiis dicavit, cuius titulus dedicatorius apud Plinium N. H. VII 97 legitur.

VICTRIX VENVS (= Ἀφροδίτη Νικηφόρος Appian. b. c. II 68 seq.). Huic aedes in theatro lapideo a Pompeio a. 699 = 55 dedicata est (Plin. N. H. VIII 20, cf. Tiro ap. Gellium X 1, 6. Plut. Pomp. 68. Fasti Amiter. Alif. ad Aug. 12. Aust de aed. sacr. no. 81). Aedes a Caesare a. 706 = 48 ante pugnam Pharsalicam uota non *Victrici* sed *Genetrici* (q. u.) Veneri consecrata est (Appian. l. c.). De aetate templi Capitolini Oct. 9 dedicati non constat (Fast. Amit. Aru. cf. Suet. Calig. 7. Galba 18. Mommsen CIL I[2] p. 331). In titulis: CIL V 2805 (Pataui). 8249 (Aquileiae)? X 7013 (Sicil.): *Veneri Victrici Hyblensi.* II 23 (Lusitan.). 470; III 7663 = 864 (Dac.). 1115. 4167 (Pann. Sup.). 1113: *I. O. M. H(eliopolitano) Veneri Victrici.* 1140. 1964 (Dalmat.). 1965. 2770: *Veneri Victrici Parthicae Aug.* 2805. 3160. VIII 14809 (Prou. Procons). In nummis a Faustina Minore usque ad Valeriam. Cf. praeterea Varro l. l. V 62. Plin. N. H. XV 125. Seru. A. I 720.

VICTRIX VICTORIA CIL VIII 9017 (Mauretan.). VII 1111 (Brit.), ubi et *Victoria Victrix* et *Victoria* memorantur.

*VINDEX IVPPITER. A. 65 p. Ch. imperator Nero pugionem quem Scaeuinus ad eum interficiendum gestauerat, *apud Capitolium sacrauit inscripsitque Ioui Vindici* (Tacit. Ann. XV 74).

*VIRGINALIS FORTVNA u. *Virgo.*

VIRGO DIANA. Virgo cognominatur Diana in titulo Nouariensi (CIL V 6503a: *I. O. M. ex praeceptu Virginis Dianae*) et in carmine epigraphico (VI 124 = Buecheler 1520) et saepius apud poetas, ut uerear ne sit epitheton Graecanicum. Cf. Ἄρτεμις Παρθένος Prell. Rob. I 370, 4.

*VIRGO FORTVNA (Plut. Q. R. 74 de fort. Rom. 10 Τύχη Παρθένος, Arnob. II 67 *Virginalis*). Fortunae Virginis simulacrum undulatis togis opertum (Varro ap. Nonium p. 189), quod alii [e. g. Ouid. F. VI 571. Dionys. Hal. IV 40, 7. Val. Max. I 8, 11] Seruii Tullii imaginem, alii [cf. Fest. p. 242] Pudicitiae signum fuisse putabant, in foro Boario stabat. Cui puellae antequam nuberent, togulas obtulerunt (Arnob. II 67). Num Παρθένου Τύχης ἱερὸν παρὰ τὴν Μουσκῶσαν καλουμένην κρήνην (Plut. de f. Rom. 10) eadem aedes sit parum certum est. Cf. Wissowa Anal. Rom. Top. p. 6 seq.

*VIRGO VICTORIA Liu. XXXV 9, 6. a. 561 = 193: *iisdem diebus aediculam Victoriae Virginis prope aedem Victoriae* [in Palatio, ut uidetur, cf. Aust de aed. sacr. no. 17] *M. Porcius Cato dedicauit biennio postquam* [a. 559 = 195, in Hispania] *uouit.*

VIRILIS FORTVNA (Plut. Q. R. 74. de fort. Rom. 10 Τύχη ἄρρην. Apud Dionys. Hal. IV 27 et Plutarchum de fort. Rom. 5 Τύχη ἀνδρεία = Fors Fortuna!). Verrius Flaccus in Fastis Praenestinis ad Kal. Apr. haec adnotauit: *Frequenter mulieres supplicant Fortunae Virili humiliores etiam in balneis, quod in iis ea parte corpor[is] utique uiri nudantur, qua feminarum gratia desideratur.* Quem secutus Ouidius (F. IV 133 seq.) dicit eo die et Fortunae Virili et Veneri Verticordiae mulieres sacrificasse [cf. Macrob. S. I 12, 15. Plutarch. Num. 19. Lydus de mens. IV 45, qui de Venere Verticordia similia narrantes Fortunam Virilem non memorant]. Quae testimoniorum

discrepantia ut soluatur, Mommsen CIL I² p. 314 censet quadratarium sententiam contraxisse, Verrium autem scripsisse: *frequenter mulieres supplicant honestiores Veneri Verticordiae, Fortunae Virili humiliores etiam in balneis* e. q. s. Equidem probabilius duxerim Verrium Flaccum in commentariis de feriis fastisque et Fortunam Virilem et Venerem Verticordiam memorasse, in fastorum laterculo autem quod commentariorum breuiarium erat, alteram tacuisse ut minus dignam commemoratu. Etenim Fortuna Virilis antiquior putanda est Venere Verticordia.

*VISCATA FORTVNA Plutarch. Q. R. 74: Τύχης Ἰξευτηρίας ἱερόν ἐστιν ἣν Βισκάταν ὀνομάζουσιν ὡς πόρρωθεν ἡμῶν ἁλισκομένων ὑπ' αὐτῆς καὶ προσισχομένων τοῖς πράγμασιν, cf. de fort. Rom. 10.

VLTOR IVPPITER. A. 193 p. Ch. Pertinax imperator moriens *precatus Iouem Vltorem toga caput operuit* (Capitol. uita Pertin. c. 11). In nummis Commodi (Coh. 83), Alex. Seueri (45—48. 266—269), Gallieni (240—244. 771. 772). Cf. Iuppiter Vindex.

VLTOR MARS (Ἄρης Τιμωρός Dio Cass.). *Aedem Martis bello Philippensi* [a. 712 = 42] *pro ultione paterna suscepto uouerat* Augustus (Suet. Aug. 29), quam in foro Augusto exstructam a. 752 = 2 (Vell. Pat. II 100, 2. Mon. Ancyr. VI 21) Kal. Aug. (Dio Cass. LX 5) dedicauit. Hoc templum passim memoratur apud scriptores. Alteram eidem deo aedem dedicauit a. 734 = 20 in Capitolio (Dio Cass. LIV 8), cuius dies natalicius d. IV Id. Mai = Mai 12 uidetur fuisse (cf. Mommsen CIL I² p. 318 et Aust de aed. sacr. no. 89). Cf. etiam Fer. Cuman. CIL I² p. 229 (ad Iul. 12?) et tituli: X 4032 (Volceiis): *Ioui Conseruatori et Marti Vltori.* IX 4108 (Aequiculi). II 6260, 2 (in anulo in Gallaecia reperto). In nummis ab Augusto usque ad Carausium. [Glans *Marti Vltori* inscripta (CIL I 686) spuria est. Cf. Zangemeister Eph. ep. VI p. 102.]

II*

AESCVLAPIVS (p. 34)
- Dominus
- Salutaris

APOLLO (p. 33)
- *Caelispex* (p. 9)
- Conseruator
- Medicinalis
- Medicus
- Moneta?
- Pacifer
- Paean
- Praestans
- Praestantissimus
- *Propugnator* (p. 33)
- Salutaris
- *Tortor* (p. 9)
- *Victor* (p. 33)

BELLONA
- *Puluinensis* (p. 8)

BONA DEA (p. 28)
- Agrestis
- Arcensis Triumphalis
- Castrensis
- Cereria
- Compos
- Domina
- Felix
- Lucifera
- Nutrix
- Oclata
- Pagana
- Restituta
- *Subsaxana* (p. 8)

CERES (p. 23)
- Frugifera
- Vertens?

CONCORDIA (p. 34)
- Noua

DIANA (p. 31)
- *Aeterna* (p. 6)
- *Caelestis* (p. 6)
- Compotens
- Conseruatrix
- Inuicta
- Lucifera
- Maxima
- Opifera
- *Potentissima* (p. 7)
- Redux
- *Regina* (p. 7)
- *Siluestris* (p. 7)
- *Venatrix* (p. 32)
- Victrix
- Virgo

FAVNVS (p. 23)
- *Fatuclus* (p. 10)
- *Fatuus* (p. 10)
- *Incubus* (p. 10)
- Inuus
- *Lupercus* (p. 16)
- Siluanus
- *Siluicola* (p. 13)

FELICITAS (p. 34)
- Fausta
- Publica

FIDES (p. 34)
- Publica

FORTVNA (p. 29)
- Adiutrix
- Aeterna
- Auerrunca?
- Balnearis
- Barbata
- Bona
- Breuis?
- Casualis
- *Citerior* (p. 8)
- Conseruatrix
- Domestica
- Dux
- Equestris
- Felix
- Fortissima
- Huiusce Diei
- Magna
- Mala
- *Mammosa* (p. 9)
- Memor
- Muliebris
- Obsequens
- Opifera
- Panthea
- Praesens
- Praetoria
- Primigenia
- Priuata?
- Publica
- Redux
- Regina
- Respiciens
- Restitutrix
- Salutaris
- Seruatrix
- Stabilis
- Stata

* Quae dantur litteris inclinatis non uera cognomina esse putantur.

FORTVNA

- Supera
- Tutatrix
- Tutela
- Victrix
- Virgo
- Virilis
- Viscata

HERCVLES (p. 32)

- Adiutor
- *Barbatus* (p. 9)
- *Bullatus* (p. 9)
- Celer
- Comes
- Compos
- Conseruator
- *Cubans* (p. 9)
- Custos
- Defensor
- Domesticus
- Impetrabilis
- *Incubo* (p. 10)
- Inuictus
- Iouius
- Iuuenis
- Magnus
- Magnus Custos
- Musarum
- *Oliuarius* (p. 9)
- Pacifer
- Praesens
- Primigenius
- *Puerinus* (p. 9)
- *Pusillus* (p. 9)
- Respiciens
- Restitutor
- Rusticus
- Salutaris
- Salutifer
- Somnialis
- Tutator
- Tutor
- Victor

HERE

- Martea

HYGIA

- Domina
- Salutaris

IANVS (p. 24)

- *Bifrons* (p. 24)
- Cenulus?
- Cibullius?

IANVS

- Conseuius
- Curiatius
- *Duonus Cerus* (p. 24)
- *Geminus* (p. 24)
- Iunonius
- *Matutinus* (p. 24)
- Patricius
- Patulcius Clusiuius
- Portunus
- Quirinus

IVNO (p. 25)

- *Caelestis* (p. 6)
- Caprotina
- *Cinxia* (p. 26)
- Conseruatrix
- Couella
- Curitis (u. Quiritis)
- Curritis „ „
- *Domiduca* (p. 26)
- *Domina* (p. 25)
- Februa?
- Februalis
- Februata
- Februlis
- Februtis
- *Feronia* (p. 25)
- *Fluonia* (p. 26)
- *Fluuionia* (p. 26)
- *Iterduca* (p. 26)
- *Iuga* (p. 25)
- *Iugalis* (p. 25)
- Kalendaris
- *Lucetia* (p. 17)
- Lucina
- *Martialis* (p. 25)
- *Matuta* (p. 25)
- *Matrona*
- Moneta
- *Opigena* (p. 8)
- *Ossipagina* (p. 26)
- Populona
- Praeses
- *Pronuba* (p. 25)
- Quiritis?
- Regina
- Sororia
- Sospes
- Sospita
- *Victrix* (p. 59)
- *Virgo* (p 52)
- *Vnxia* (p. 26)

IVPPITER (p. 24)

- Aduentus
- *Aeternus* (p. 6)

IVPPITER

- *Almus* (p. 25)
- Arborator
- Arcanus
- *Centumpeda* (p. 25)
- Chortalis
- Conseruator
- *Consul* (p 6)
- *Consulens* (p. 6)
- *Culminalis* (p. 6)
- *Culminaris* (p. 6)
- Cultor
- Custos
- Dapalis
- Defensor
- Depulsor
- Depulsorius
- Dianus?
- *Diespiter* (p. 17)
- Domesticus
- Dominus
- Elicius
- Epulo
- Exauditor
- *Fagutalis* (p. 8)
- Farreus
- Feretrius
- Frugifer
- Fulgur
- Fulguralis
- Fulgurator
- Fulgur Fulmen
- Fulminalis
- Fulminator Fulgurator
- *Herceus* (p. 25)
- *Imbricitor* (p. 25)
- Imperator
- Impetrator
- *Impulsor* (p. 25)
- Indiges?
- Inuentor
- Inuictus
- *Iurarius* (p. 8)
- Iutor
- *Iuuenis* (p. 46)
- Iuuentus
- *Lapis* (p. 9)
- Liber
- Liberator
- Libertas
- Lucetius
- Monitor
- Nundinarius
- Obsequens
- Opitulator?
- Opitulus?
- Optimus Maximus
- Pantheus
- *Paternus* (p. 7)
- *Pecunia* (p. 26)

IVPPITER

- *Penetralis* (p. 25)
- Pistor
- Pluuialis
- Praedator
- Praestabilis
- Praestes
- Propagator
- Propugnator
- *Puer* (p. 9)
- Purgator?
- *Quirinus* (p. 54)
- Rector
- Redux
- Restitutor
- *Rex* (p. 55)
- Salutaris
- Sempiternus
- *Serenator* (p. 56)
- Serenus
- Seruator
- *Solitorius* (p. 7)
- *Sospitator* (p. 57)
- *Soter* (p. 47)
- Stator
- Striganus
- Summanus
- *Supinalis* (p. 25)
- *Sutor* (p. 58)
- *Terminalis* (p. 15)
- Terminus
- Territor
- *Tigillus* (p. 25)
- Tonans
- Tonitrator
- *Tonitrualis* (p. 57)
- Tunnus?
- Tutator
- *Tutela* (p. 58)
- Tutor
- Valens
- Victor
- *Viminius* (p. 8)
- Vindex
- Vltor

LAR (p. 27)

- *Caelestis* (p. 27)
- *Cunctalis* (p. 27)
- Familiaris
- *Militaris* (p. 27)
- *Publicus* (p. 54)
- Vialis
- Victor

LARES (p. 27)

- *Alites* (p. 9)
- *Bullati* (p. 9)

LARES

- Casanici
- Compitales
- Compitalicii
- Domestici
- Familiares
- Grundules
- Grundulii
- Hostilii
- Magni
- Militares
- Permarini
- Praestites
- *Priuati* (p. 53)
- Publici
- Puteales?
- Quadriuii
- Rurales?
- Salutares
- Semitales
- Viales
- Viatorii

LIBER (p. 23)

- Adstator
- Conseruator
- Frugifer
- Magnus
- Pantheus

LIBERA (p. 23)

- Conseruatrix

LVNA

- Aeterna
- Lucifera
- *Noctiluca* (p. 9)

MARS (p. 27)

- *Alator* (p. 28)
- Amicus
- Armiger?
- Auxiliator
- *Campester* (p. 6)
- Comes
- Consentiens
- Conseruator
- Custos
- Cyprius
- Dominus
- Gradiuus
- Inuictus
- *Leucetius* (p. 28)
- *Loucetius* (p. 28)
- *Magnus* (p. 7)
- Militaris

MARS

- *Pacator* (p. 50)
- Pacifer
- *Potens* (p. 48)
- Praestans
- *Propagator* (p. 53)
- *Propugnator* (p. 53)
- Protector
- *Quirinus* (p. 54)
- Victor
- Vltor

MATER MAGNA (p. 34)

- Cereria
- Optima Maxima

MEFITIS

- Fisica

MENS (p. 34)

- Bona

MERCVRIVS (p. 33)

- Censualis
- Compitalis
- Consentiens
- Conseruator
- Domesticus
- *Epulo Euphrosynus*(p.9)
- Felix
- *Finitimus*
- Inuictus
- Lanarius?
- Magnus
- *Maleuolus* (p. 9)
- *Menestrator* (p. 8)
- Mercator
- Negotiator
- Nundinator
- *Nuntius* (p. 8)
- *Pacifer* (p. 33)
- Potens
- Praeses
- Redux
- Sobrius
- Viator
- *Victor* (p. 7)

MINERVA (p. 31)

- Antistes
- *Capta* (p. 31)
- Conseruatrix
- Custos
- Medica
- Memor

VITA AVCTORIS

Natus sum Jesse Benedictus Carter a. h. s. LXXII die 16 Iuni, Neoeboraci, patre Petro quem adhuc superstitem summa pietate colo, matre Maria e gente Benedict quam duos abhinc annos ereptam lugeo. Fidei sum addictus euangelicae. Litterarum elementis imbutus sum in gymnasio publico Neoeboracensi et in schola priuata cui nomen est 'Everson and Halsey'. Anno aetatis sexto decimo urbis patriae uniuersitatem adii, proximo anno in uniuersitatem Princetoniensem in ciuitate Neo-caesariensi sitam migraui, ubi post examen praemium ad Graecarum et Romanarum litterarum studia per triennium decretum (Stinnecke Scholarship) adeptus sum. A. h. s. LXXXXIII alteris examinibus superatis gradum artium Bacalaurei nanctus, stipendium ad persequenda studia philologica (Classical Fellowship) meritus sum. Quo instructus in Germaniam profectus per bis sex menses Lipsiae, tum Berolini per unum semestre studiis operam dedi. Deinde lustrata Graecia Italiaque in Germaniam reuersus uniuersitatem Gottingensem adii. Autumno a. h. s. LXXXXV ueniam legendi in alma matre Princetoniensi et gradum Magistri Artium obtinui. Quo munere adhuc perfungor, intermisso duabus peregrinationibus Halas Saxonum studiorum perficiendorum causa susceptis a. LXXXXVI et iterum a. LXXXXVII. Docuerunt me uiri doctissimi Neoeboracenses: Baird, Houghton; Princetonienses: Packard, West, Westcott, Cameron, Orris, Winans; Lipsienses: Arndt, Birch-Hirschfeld, Brugmann, Heinze, Hirt, Külpe, Lindner, Settegast, Sievers, Windisch; Berolinenses: Runze, Schumann, Simmel, Stumpf; Gottingenses: Dilthey, Wilamowitz; Halenses: Blass, Robert, Wissowa. Quibus uiris omnibus, sed maxime Friderico Blass, Carolo Robert, Iohanni Westcott optime de me meritis gratias habeo quam maximas. Imprimis uero Georgii Wissowa, qui in conscribenda hac dissertatione opera mihi adfuit et consilio, memoriam seruabo pientissimam.